DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

CHRISTO, DEO MAGNO, VERO ET BENEDICTO

AD TIT. II, 13. 1. IO. V, 20. ROM. IX, 5.

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE COMITE SAYNAE ET WITTGENSTEINII RELIQVA

PRAESIDE

IOANNE GEORGIO WALCHIO
CONSILIARIO SAXO-ISENACENSI ECCLESIASTICO THEOL. DOCTORE AC PROFESSORE CELEBERRIMO CIVIVMQVE IN HAC ACADEMIA ISENACENSIVM INSPECTORE

PATRONO ET PRAECEPTORE SVMMA PIETATE COLENDO

D. XVI. IVNII A. R. S. MDCCXXXVI.

ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBIICIT

AVCTOR

HENRICVS DANIEL MVLLER
HASSO-DARMSTADINVS, SS. THEOL. CVLTOR.



IENAE LITTERIS IO. FRID. RITTERI.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
DOMINO
ERNESTO
LVDOVICO
HASSIAE LANDGRAVIO
PRINCIPI HERSFELDIAE
COMITI IN CATTIMELIBOCO DECIA
ZIGENHAINA NIDDA SCHAVMBVRGO
ISENBVRGO BVDINGA
ET RELIQVA

PRINCIPI AC DOMINO MEO
LONGE CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,

ARDOR, quem in custodienda sana christi doctrina omnibus ob oculos ponis hominibus, ac infucatus, quo flagras, veritatis cœlestis amor, tantus est tamque insignis, vt omnes eumdem venerentur verbi diuini amatores, ac singuli veri numinis cultores ad insignes laudes TVAS excitentur. Quamquam itaque summum, in quo TE deus collocauit, dignitatis fastigium ac splendor, radios vndiquaque spargens luculentissimos impedire potuisset, quo minus hanc dissertationem serenissimis TVIS subiicerem oculis; TVVS tamen erga diuinas veritates amor, vt id facerem, animum mihi addidit, non quidem ob tractationis elegantiam; sed argumenti ipsius dignitatem plane eximiam.

miam. Principum omnino est, inuigilare salutari christi doctrinæ eoque adcuratius, quo plures in lucem prodeunt veritatis hostes, quibus vt firmiter resistatur, inprimis imperantes pro potestate diuinitus concessa curare debent. Annuente gratia diuina, TVO, SERENISSIME PRINCEPS, summo præsidio ac cura plane indefessa factum esse, scio, vt sanctum euangelii præconium nostris in terris hactenus viguerit illibatum puraque doctrina ad hunc vsque diem permanserit, nullis errorum maculis conspurcata. Inprimis maximi momenti doctrina de christo salutis nostræ principio, tam quoad essentiam vere diuinam; quam officium ipsius mediatorium spectato, ne vlla quidem laborat immunditie, quamuis a multis impugnetur istamque Sociniani labefactare conentur, cui ex ipsis sacræ scripturæ visceribus lucem adfundere vberiorem, annixus fui. Atqui hanc commentationem, SERENISSIME PRINCEPS, TIBI summa animi reuerentia ac pietate offero. Nihil, quod tanto fastigio dignum sit, a me præstitum esse, optime scio; scio tamen, verbum dei auro atque argento longe præstantius: scio limpidissimas sacrarum litterarum scaturigines melle TIBI dulciores esse: scio denique, eos, qui obsequii cultu TIBI deuincti sunt, quacunque occasione expertos esse, TE, in diiudicandis animi submissi atque deuoti documentis non tam præstantiæ; quam

pietatis habere rationem, adeoque et hunc conatum TIBI haud ingratum fore, certisſime mihi perſuadeo. Cuinam ego primitias haſce litterarum academicas rectius offerrem, quam patriae NVTRITORI CLEMENTISSIMO, imperii eccleſiaeque fulcimini firmisſimo, ciuium gaudio intenſisſimo, principum denique decori ſuauisſimo. Accipe itaque, SERENISSIME PRINCEPS, publicum hoc animi demisſisſimi monumentum, fronte ſerena ſummaque, qua me ciuem TVVM nullo non tempore amplexus fuiſti, clementia, cuius veſtigia ſane innumera in toto vitae meae curriculo ac exoptato inprimis ſtudiorum curſu conſpicienda omnem excedunt laudis celebrationem. Id vnice agam, vt precibus ardenter fuſis, deum T. O. M. totius vniuerſi moderatorem benignisſimum humillime implorem, velit annis ad ſenectutem iam adcreſcentibus adhuc addere quam plurimos, TEque omni bonorum genere cumulatum in ſanctisſimi nominis ſui gloriam, eccleſiae ac totius regionis ſolatium ſaluum ſeruare atque incolumem quam diutisſime.

TIBI,

SERENISSIME PRINCEPS,

Subiectisſimus deuotisſimus

HENRICVS DANIEL MVLLER,

Sacrat. Litterar. Cultor.

NVM vana tantum vexantur imagine ſenſus?
Nonne aliquid veri ſomnia mentis habent?
Somnia mentis habent, quod non oracla Sibyllæ,
Phœbi quod tripodes dicere vix valeant.
Laurus erat, laurum iuxta torrente ſuperbit
Fons, ex quo vates ſæpe bibiſſe, ferunt.
Fons fuit Aonii (ſemper dixiſſe putares
Parnaſſum) quo me raptat amor vehemens.
Cætera dum ſpecto, crepitat pene Laurea flammis,
Aſtripotens illis, ſentio, Numen ineſt.
Venit, et ex templo (quid enim non ſomnia poſſunt?)
Ad laurum molitor, clamitat ore noua.
Hic MAGNVM, VERVM, BENEDICTVM, ſuſpice Numen,
Sic Tibi laurus erit, quæ mihi tanta fiet.
Vtque fauet ſomnus, plaudit gens incola cœli
Et circumſtantis ſacra corona chori.
Additur ecce decus, nec non ſua laus molitori,
Quem, MAGNVS, VERVS, quem BENEDICTVS amat.
Finis erat ſomni, cuius tamen hæſit imago,
Luminibus ſenſum non abitura meis.
Nunc volui cauſſas, cauſſæ latuere volentem,
Conſcia quærenti cuncta SALINDA refert.
En! Molitor Cattus, ſancti genitoris imago,
Quem caſto erudiit docta Minerua ſinu;
En! Molitor, doctæ non vltima gloriæ turbæ,
Quemque Mei ſtudiis excoluere ſuis;
Hic MAGNVM, VERVM, BENEDICTVM ſuſpicit Haſſus,
Differit et; ingens fertur ad aſtra ſonus.
Hinc ſua per cunctas ibunt præconia laudes,
Lauros, æternum ſic habet ille decus.
Dixerat. Obſtupui, nec me mea luſit imago,
Nam multum veri ſomnia mentis habent.

Idem hoc ſomnium clarisſimo Reſpondenti tot inter amicorum plauſus de tanto tamque egregio eruditionis ſacræ ſpecimine editos, tamquam veriſsimum enarrare, ſimul quoque eidem, ſuo quam dulcisſimo auditori ac conuictori, omnia, quæ menti ac corpori ſalutaria erunt, apprecari prudens conſultoque contendit

M. IO. GERARDVS PAGENDARMIVS,
V. D. Min. ac C. E. idemque Hoenl.

CHristi dum celebras nomen, charissime fili!
Sit tecum summi numinis auxilium.
Arrius et peruersa cohors, quae denegat ipsum,
Hinc procul abscedat! Gloria sola deo.

Ex affectu paterno paucula haecce scribere voluit

W. P. MVLLER,
Past. Hatzfeldens.

PRo nostris primo primos iam dedicat enti
Doctrinae flores, salua sit haecce dies!
Artibus et studiis vixit, quem tanta coronat
Gloria, quam meruit, salua sit haecce dies!
Virtutis studium (ne contere Marcule dentes!)
Praemia digna tulit; salua sit haecce dies!

Pauca haecce nobilissimo, nec non doctissimo domino, dissertationis huius auctori, amico suo integerrimo adscribere voluit debuitque

F. R. RAYS, Lichensis.

DVlcis amice, TVAS ad sydera tollere laudes
Nec meus hic calamus, nec mea musa valet.
Defendis titulos domini, qui cuncta redemit;
Supremi nitet laus TVA laude dei.
Auxilio cuius terris TVA rura manebunt,
Ille TIBI tandem coelica regna dabit.

Accipe haecce nobilissime domine, huius dissertat. auctor doctissime, amice certissime charissimeque, in amicitiae non fucatae tesseram a tuo obseruantissimo

PHIL. HENR. WERTHES,
SS. Theol. Cult. Hasso-Darmst.

* * * * * *
* * *



PRAELOQVIVM.



ΥΤΟΣ *κεῖται εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον.* Notatu digna ſunt verba ſenis illius Simeonis prophetica, *Luc.* II, 34. litteris conſignata, de fatis ſaluatoris in hac terra triſtisſimis, a primo natiuitatis momento, ad ſeculum vsque, quo viuimus, maxime corruptum exacte adimpleta, id quod nemo ſacrarum litterarum pariter, ac ſtatus moderni priſtinique gnarus, facile inficias ibit. Operæ pretium erit, tam contradictiones, de quibus vaticinatur Simeon, præcipuas; quam earum cauſſas breuiter conſiderare. Contradictionem ſuſtinuit chriſtus a peccatoribus, inquit apoſtolus *ebr.* XII, 3. quod ſi quis audeat in dubium vocare, per ſanctam quidem; ſed afflictionibus numerum excedentibus vndiquaque cinctam *τοῦ θεανθρώπου* vitam, eiusque piam meditationem veritatis huiuſce ſatis conuincetur. Durante officio, quod in his terris adminiſtrabat, prophetico, Phariſæi exſurgebant ac ſcribæ, hoſtes chriſti infenſisſimi, qui odio, quod vocant, plusquam Vatiniano in filium hominis flagrantes, doctrinas eius impugnarent cæleſtes, quibus imbuti miſeri mortales ac nouo quaſi lumine colluſtrati

in vmbra mortis recumbentes, ex tenebris ad lucem perducebantur: vitam pariter messiæ innocentem ac sanctitatis, sapientiæ, potentiæ radios luculenter spargentem horrendis calumniis lacerantes, prout colligere licet ex *Matth.* XI, 19. XII, 24. Alias inter veritates a pessima hac prole impugnatas et contradictionis ansam præbebat veritas illa, qua salus nostra innititur: christus est verus ac ὁμοέσιος dei filius, a patre ab æterno genitus, ad redimendos homines in tempore missus, vt lytron persolueret infinitum pro peccatis mundi nosque irato iudici reconciliaret. Huic adserto, firmissimo fidei fundamento et ab æterna veritate quacunque occasione solicite inculcato, oppositam videmus impiam ac detestandam Pharisæorum ἀντιλογίαν, doctrinam hanc esse diabolicam atque blasphemam, vt ex *Io.* X, 33. VIII, 48. patet. Mox circa primordia noui testamenti post christi resurrectionem gloriosamque eius ascensionem, ardua hæc doctrina hostes habebat acerrimos, Ebionem, Cerinthum, Samosatenianos, Photinianos, Sabellianos, Arianos aliosque, qui vt trinitatem; ita et christi diuinitatem impugnarunt ac vnigenito dei filio loquenti suamque diuinitatem æternam argumentis plane inuictis comprobanti, contradixerunt, eamque falsissimam pronuntiarunt, de quo scriptores historiæ ecclesiasticæ testimonia perhibent luculentissima. Postea alii antitrinitarii hostesque diuinitatis iesu christi, inprimis seculo XVI. LAELIVS et FAVSTVS SOCINVS cum adseclis suis sequuti sunt: maximos in ecclesia motus excitarunt et proh dolor! adhuc excitant, perniciosissimis doctrinis euidenter declarantes, christum esse signum, cui contradicatur, ac centrum, quod iaculo petatur.

Quod ad caussas abominandæ huius malitiæ adtinet, inter eas ipse diabolus primum sibi vindicat lo-

cum. Poſtquam enim Adamo in miſeriam delapſo adnuntiabatur benedictum ſemen mulieris, quod ſerpenti caput conterere eiusque opera in cordibus hominum exſtructa, diſſoluere debebat, *Geneſ.* III, 15. 1 *Io.* III, 8. ſtatim ab iſto temporis momento indelebilis exſtitit inter ſemen mulieris atque ſerpentem inimicitia; adeo, vt diabolus ſemper ſit princeps cauſſa, cur improbi viribus coniunctis tela conferant: veritates cæleſtes impugnent: ac ſanctis verbi diuini effatis pertinaciter contradicant, id quod primi iam euangelii præcones fuerunt experti. Sic enim gentium doctor conqueritur 1 *Cor.* I, 23. *prædicamus ieſum crucifixum iudæis ſcandalum,* et *Phil.* III, 18. hoſtium crucis chriſti mentionem iniicit. Satanam excipit corrupta hominis natura, inprimis amor ſui inordinatus, qui et in ſpiritualibus deo palmam præripere ac ſibimet ipſi totum ſalutis negotium adſcribere conatur. Sic Sociniani intimam naturæ corruptionem plane negantes, vti patet ex *catechiſmo Racouienſ. ſect.* VI. *cap.* 10. p. 157. FAVSTO SOCINO in *prælectionib. theolog. cap.* 4. *tom.* I. *oper.* p. 540. *de chriſto ſeruatore part.* III. *cap.* 8. et *part.* IV. *cap.* 6. *tom.* II. *oper.* p. 207. 221. ſqq. OSTORODO aliisque, hominem ex viribus mere naturalibus ſalutem ſuam conſequi poſſe, arbitrantur: peccatum originale eiusque ab Adamo ad omnes poſteros propagationem pro mero habent figmento, ac ſatisfactionem vicariam a chriſto præſtitam ludibrio exponunt. Falſiſſima hæc dogmata ſuperſtruere conantur fundamentali, quem fouent, errori, chriſtum non eſſe verum dei filium, quin potius adoptiuum: eum in tempore ortum duxiſſe, adeoque lytron, quod nos vrgemus infinitum, perſoluere haud potuiſſe: chriſtum in ſtatu abiecto tantum reputantes, vt virtutis exemplum, quod nos imitari debeamus: ac iuſtificationem hominis coram deo iuſtitiæ

non imputatiuæ; ſed inhæſiuæ attribuentes. En! faſtum, tanti erroris fontem.

Accedit abuſus, cui indulgent, rationis in ſpiritualibus excæcatæ. Videntes enim, ſe magnum iſtud incarnationis myſterium, duarum naturarum in chriſto vnionem ratione adſequi non poſſe, diuinam plane negant: mesſiam pro mero homine reputant: ſcripturam detorquent, variisque ratiociniis, veluti armis inſtructi atrocisſime pugnant. Habes itaque et hic, lector beneuole, perſpicuum vaticinii ſupra allegati complementum.

At vero nunquam defuerunt viri eruditionis ac probitatis laude conſpicui, qui ſanam chriſti doctrinam ab iis, quæ hæretici atque alii veritatis hoſtes obiiciunt, maſcule defenderent, quorum egregium exemplum intuentes, nos in præſentia id agemus, vt ex prædicatis, quæ *Tit.* II, 13. 1 *Io.* V, 20. *Rom.* IX, 5. chriſto adtribuuntur, diuinitatem eius æternam ac *ὁμουσίαν* cum patre perfectam commonſtremus dilucide atque oſtendamus, omnino eum eſſe deum magnum, verum et benedictum. Deus faxit, vt fiat hoc feliciter.

CAP. I.

DE

CHRISTO, DEO MAGNO.

TIT. II, 13.

Προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

§. I.

TALIA merito ſunt ſubiecta, qualia pro ratione prædicatorum eſſe debent, id quod et de chriſto valere, manifeſtum eſt. Noſtrum non eſt, vt

varia

varia christi prædicata, in libris canonicis hinc inde memorata, mere diuina iunctim pertractemus, quoniam id breuitas non permittit, quam sectari debemus. Sufficiat, tria tantum expendere a Paullo atque Ioanne vsurpata, μέγας, ἀληθινὸς, εὐλογητὸς, ad quorum accuratam, in quantum id fieri potest, contemplationem nos bono cum deo nunc accingimus.

§. II.

Τȣ̃ μεγάλȣ θεȣ̃ mentionem a Paullo factam videmus *Tit.* II, 13. Sermonem hic esse de christo, filio dei vnigenito, primum ex eo clare satis patet, quoniam apostolus magno, de quo loquitur, deo adtribuit τὴν ἐπιφάνειαν τῆς δόξης, quem gloriosum aduentum in die iudicii futurum christo proprium esse, comprobant clarissima scripturæ sacræ dicta, *Matth.* XXV, 31. sqq. *actor.* I, 11. X, 42. XVII, 31. 1 *Thess.* IV, 16. 2 *Thess.* I, 7. 2 *Tim.* IV, 1. Quamuis enim iudicium illud, opus immensæ potentiæ, infinitæ iustitiæ, omniscientiæ ac bonitatis diuinæ, tribus deitatis personis sit commune, eamque ob caussam tam pater; quam spiritus sanctus iudex vniuersi audiat, *actor.* XVII, 31. *ebr.* XII, 23. *Ies.* IV, 4. *Io.* XVI, 8. et hinc christus *Io.* VIII, 15. expresse dicat: *ego neminem iudico*, nimirum solus sine patre et spiritu sancto; ille tamen *Io.* V, 22. 27. totidem verbis adseruit, patrem neminem iudicare, i. e. visibiliter, et tanquam caput ecclesiæ; sed filio omne iudicium, secundum humanam naturam administrandum, tradidisse. Sermo porro est de deo, qui semetipsum dedit pro nobis ac sanguine suo lytron persoluit infinitum, coll. *actor.* XX, 28. in quo fideles bene sperare ac vitam æternam exspectare possunt, *Io.* III, 16. *Rom.* VIII, 23. 1 *Petr.* I, 3. id quod et ex articulo τȣ̃ videmus. Paullus dicit: *exspectamus adparitionem gloriosam τȣ̃ μεγάλȣ*

θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ac ſignificat, magnum deum et ſeruatorem eſſe vnum eumdemque. Vbi enim per *magnum deum* non filium; ſed patrem intelligendum eſſe, putas, articulus τοῦ præmittendus fuiſſet voci σωτῆρος, vt hac ratione ſeruator a magno deo diſtingueretur. Quæ quum ita ſint, melioris explicationis cauſſa, particula καὶ recte vertitur per *ſcilicet, nempe,* ſiquidem in ſignificatione conuenit cum ebræorum (ו) de cuius ſignificationibus probe obſeruandis vid. DANZII *interpret.* §. 193. coll. *Rom.* XV, 6. 1 *Cor.* XV, 24. 2 *Cor.* I, 3. *Galat.* I, 4. *Phil.* IV, 20.

§. III.

Idem veteris eccleſiæ patres recte monuerunt, per *magnum deum,* cuius in excitato Paulli effato mentio fit, intelligendum eſſe ieſum chriſtum, atque ad hunc Paulli locum prouocarunt, quum chriſti diuinitatem atque illius eamdem cum patre eſſentiam probare vellent, quemadmodum ex ATHANASII, CYRILLI atque aliorum ſcriptis patet ac DIONYSIVS PETAVIVS *theol. dogmat. de trinitate lib.* II. *cap.* 9. §. 3. *tom.* II. p. 100. obſeruat, cui GEORGIVS BVLLVS in *defenſione fidei Nicænæ* p. 142. iungendus eſt. Hinc Sociniani, quum clariſſimum hoc teſtimonium de diuinitate chriſti eorum errori, chriſtum tantum eſſe hominem, plane repugnat, nihil aliud agunt, quam vt coactam ac a verborum ratione ordineque plane alienam interpretationem adhibeant. Pro ſuo enim errore *magnum deum* ad patrem eamque vnicam perſonam referunt, quam tantum in diuinitate admittunt, putantque, non ſignificari adparitionem ipſius dei; ſed gloriæ eius. Præter alios, ION. SLICHTINGIVS DE BVKOWIEC ſcribit: *ſignificatur omnis ille diuinus ſplendor ac maieſtas, quæ cum chriſto et circa chriſtum apparebit. Nam ipſe magnus*

ille

ille deus in sua manebit inaccessa luce inconspicuus; sed suam adparere faciet gloriam omnibus hominibus, non nobis tantum, qui credimus euangelio et gloriae istius adparitionem expectamus; sed etiam omnibus aliis, in *oper. exegeticor. posthumor. tom.* II. p. 285. Idem sentit HVGO GROTIVS atque μέγαν Θεὸν itidem ad patrem refert: *adparitio*, inquit, *dicitur non christi tantum futura; sed et dei, quia deus maiestatem illam christo tribuit*, in *adnot. in epist. ad Tit.* II, 13. *tom.* III. *oper. theolog.* p. 1002. quem tamen solide refutauit ABR. CALOVIVS in *bibl. illustr. ad Tit.* II, 13. p. 1068. adde PHIL. IAC. SPENERVM in *der Vertheidigung des Zeugnisses von der ewigen Gottheit Christi* p. 522.

§. IV.

Pro hac igitur eaque vera interpretatione ex verbis Paulli hanc cognoscimus propositionem: *christus est magnus deus.* Caracter *magni* est sane minime vulgaris; sed proprie soli deo vero, creatori visibilium ac inuisibilium potentissimo, suffragantibus tot tantisque effatis, adtribuendus, prout videre est ex *Exod.* XVIII, 11. *Deuteron.* VII, 21. *Nehem.* I, 5. VIII, 6. *Iob.* XXXVI, 26. *psalm.* XLVIII, 2. XCV, 3. CXLV, 3. CXLVII, 5. *Ierem.* XXXII, 18. 19. *Dan.* II, 45. *apocal.* XIX, 17. Legimus quidem *actor.* XIX, 28. Demetrium illum lucri cupiditate raptum clamorem excitasse: *magna est Diana Ephesiorum:* notum quoque est erroneum Cyri de Bele iudicium: *o Bel! tu magnus es deus, libr. de Bele Babyl. v.* 17. Sed verba illa partim sunt relatiua; non adsertiua; partim ex iis colligere possumus, gentiles tantam agnouisse praedicati huiusce maiestatem, vt enti, pro falsa illorum sententia summo ac adoratione digno, illud adtribuere, non dubitauerint. Ipsum vocabulum μέγας quotiescunque de deo praedicatum legitur, semper designat ens infinitum, immensum, summas plane

plane atque omnes in ſeſe continens perfectiones, quæ dum propter infinitatem omnem captum humanum longiſſime transſcendunt, *magnitudinis* nomine, *κατ' ἐξοχὴν* talis, in ſcriptura ſacra occurrunt ſæpiſſime, prout ex locis ſupra adductis liquet, quibus addi meretur locus *pſalm.* CL, I. Hinc et ſcriptores eccleſiaſtici, quum de deo, vt magno deo loquantur, hoc prædicatum ita explicant, vt illud ei competere abſolute omniumque perfectionum complexum indicare, ſignificent. THEOPHYLACTVS enim *comment. in Tit.* II, 13. p. 853. dicit: *τὸ μεγας, ἐπὶ θεȣ̃ λέγεται, ȣ̓ κατὰ σύγκρισιν τὴν πρὸς ἄλλον μικρὸν, ἀλλ' ἀπολελυμένως, ὡς φύσει αὐτομεγάλȣ ὄντος, magnus de deo dicitur, non per comparationem ad alium quendam paruum; ſed abſolute, vt qui natura ipſe per ſeſe magnus ſit.* DIONYSIVS AREOPAGITA *cap.* IX. *de diuin. nominib.* p. 248. *μέγας ὁ θεὸς ὀνομάζεται, κατὰ τὸ ἰδίως αὐτȣ̃ μέγα, τὸ πᾶσι τοῖς μεγάλοις ἑαυτȣ̃ μεταδιδȣ̃ν, καὶ παντὸς μεγέθȣς ἔξωθεν ὑπερχεόμενον, καὶ ὑπερεκτεινόμενον, πάντα τόπον περιέχον, πάντα ἀριθμὸν ὑπερβάλλον, πᾶσαν ἀπειρίαν διαβαῖνον, καὶ κατὰ τὸ ὑπερπλῆρες αὐτȣ̃ καὶ μεγαλȣργὸν, καὶ τὰς πηγαίας αὐτȣ̃ δωρεὰς, καθ' ὅσον αὐται πρὸς πάντων μετεχόμεναι κατὰ ἀπειρόδωρον χύσιν, ἀμείωτοι παντελῶς εἰσὶ, καὶ τὴν αὐτὴν ἔχȣσιν ὑπερπληρότητα, καὶ ȣ̓κ ἐλαττȣ̃νται ταῖς μετοχαῖς, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ὑπερβλύζȣσι, magnus appellatur deus ſecundum ſibi propriam magnitudinem, quæ magnis omnibus de ſe communicat, et omni magnitudini extrinſecus ſuperfunditur et ſupra expanditur, locum omnem complectens, omnem numerum excedens, omnem tranſiens infinitatem, et iuxta ſupraquam plenitudinem ſuam ac magnificentiam, fontaleſque ſuas diſtributiones, quatenus hæ omnibus infinita profuſione communicatæ, manent prorſus imminutæ, et eandem habent ſupraquam plenitudinem; neque participationibus minuuntur, quin imo magis redundant.*

§. V.

§. V.

Hisce ante positis, facile sequitur, emphaticum hocce prædicatum luculentissimum esse summarum christi perfectionum, infinitæ scilicet sapientiæ, immensæ potentiæ ac summe perfecti erga miseros amoris documentum; hæc vero atque alia diuina attributa quum ipsam constituant essentiam dei nec ab illa differant, sequitur ex eo, christum esse patri ὁμοούσιον, deum vere et proprie dictum. Quamquam enim ipse saluator, quod pater eo maior sit, pronuntiet, *Io.* XIV, 28. probe tamen discernendam esse, patet facile, essentiam christi diuinam ab officio, quod in se susceperat, mediatorio. Illa est ipsa patris essentia, adeoque secundum hanc eandem habet cum patre magnitudinem infinitam; secundum hoc vero christus vt sponsor, postquam tale pactum cum patre iniit, vt declarauerit, se velle iustitiæ diuinæ satisfacere ac totum genus humanum redimere, inferior dicitur iudice, cui λύτρον persoluere debebat. Quo respectu christus etiam patris *seruus* dicitur, *Ies.* XLII, 1. XLIII, 10. XLIX, 3. 5. 6. L, 10. LII, 13. LIII, 11. *Ezech.* XXXIV, 23. XXXVII, 24. 25. Sed tamen vt ad adcuratiorem singularis huiusce magnitudinis expositionem progrediamur, considerare volumus tam eius *fundamentum*; quam *rationem formalem.*

§. VI.

Quod ad *fundamentum* adtinet, magnitudo diuinitatis, quæ christo adtribuitur, pro duplici eius natura, diuina ac humana, *essentialiter* et *communicatiue* potest considerari. Quod si istam considerare velis *essentialiter,* nititur insignis hæc magnitudo mox demonstranda, æterna patris generatione, quam docet diuinum patris cum filio colloquium a Dauide litteris consignatum *psalm.* II. quippe quem non de Dauide agere,

quem-

quemadmodum iudæi, Neo-photiniani; siue Sociniani, HVGO GROTIVS existimant; sed de messia, res ipsa docet. In eo expresse pater deus *v.7.* messiam ita adloquitur: *filius meus es tu; ego hodie genui te*, atque omnino filii æternam ex essentia diuina generationem indicat. Loquitur enim non de filio adoptiuo; sed de eo, qui est *μονογενὴς*, *vnigenitus*, *Io.* I, 18. III, 16. 18. 1 *Io.* IV, 9. *ἴδιος*, *proprius*, *Rom.* VIII, 32. hincque singulariter *dilectus*, *Matth.* III, 17. XVII, 5. *Coloss.* I, 13. 2 *Petr.* I, 17. atque a filio adoptiuo plane diuersus. Quando autem pater dicit, se genuisse filium *hodie*, idem hoc est, ac in præsentissimo vnicæque æternitatis fluxu, vbi nihil præteritum, nihil futurum; sed omne præsens, vti MARTINVS GEIERVS in *comment. in psalm.* II, 7. p. 26. bene obseruat probatque. Nec est, quod Sociniani allegatione horum verborum ex *psalm.* II, 7. quæ *actor.* XIII, 33. facta est, abutantur atque ex eo efficiant, dicto psalmo non sermonem esse de æterna filii ex patris essentia generatione; sed de excitatione eius ex mortuis. Id enim, quod ex his psalmi verbis probatur, non spectat ad resuscitationem christi; sed ad illius exhibitionem, tanquam veri ac promissi messiæ, hincque verba: *ἀναςήσας ἰησοῦν* vertenda sunt: *exhibens*, *sistens iesum*, quod pluribus docent ABR. CALOVIVS in *examine libri Crellii de vno deo patre* p. 296. IO. GERHARDVS in *exegesi artic. de persona et officio christi* §. 54. p. 412. et IO. CHRIST. WOLFIVS in *curis philolog. et critic. in actor.* XIII, 33. p. 1193. sqq. Eamdem filii æternam generationem alia scripturæ testimonia comprobant, *prouerb.* VIII, 24. 25. *Mich.* V, 1. hac autem posita, sequitur omnino, vt si pater sit magnus deus, filius quoque idem magnus deus esse debeat. Vti enim gignere ac generare nihil aliud est, quam alteri communicare essentiam suam

ac

ac naturalis conditio requirit, vt homo alterum hominem, eadem essentia humana praeditum, gignat; ita et deus pater, magnus deus, quem caeli caelorum haud capere queunt, filium, magnum deum genuit, cui quum totam communicaret essentiam suam, tantum abest, vt filius summis perfectionibus, essentiam patris diuinam constituentibus et ab ea ipsa haud quaquam diuersis, carere posit, vt a summa illarum possessione is magnus vocetur deus, quod et angelus indicat, hanc magnitudinem christi diuinam ex aeterna patris generatione deriuans *Luc.* I, 32. ὗτος ἔςαι μέγας καὶ υἱὸς ὑψίςυ κληθήσεται. Hinc et filius χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως patris vocatur, *ebr.* I, 3. ac omnia, quae patris sunt, sibi quoque competere, ipse adfirmat, ac dicit, *se et patrem vnum esse, Io.* X, 30. quumque intelligat vnitatem essentiae, *v.* 38. addit, *se esse in patre et patrem in ipso:* add. *Io.* XIV, 7. sqq. XVI, 15. XVII, 10. 20. 21.

§. VII.

Quodsi diuinitatem christi *communicatiue* consideramus, quatenus humanae eius naturae adtributa diuina sunt communicata, meritoque dicitur, secundum humanam naturam eum esse omnipraesentem, omniscium, omnipotentem, communicatio haec innititur vnione personali, quae supponit vnitionem, in primo conceptionis momento factam, qua λόγος ἄσαρκος in hypostasin suam adoptauit humanam naturam et quidem arctissime et indissolubiliter; prouti autem hic ipse actus erat transitorius; ita eundem sequebatur vnio pro statu accepta, quae dicitur personalis, in aeternum perseuerans, *ebr.* XIII, 8. Hanc sequuta est communicatio; siue communio naturarum, per quam diuina natura hominis; siue filii hominis, ac humana dei esse censetur, ita tamen, vt diuina natura huma-

nam permeet penetretque hæcque de diuinitate omnino participet, quod περιχώρησις dici solet. Idque est, quod luculenter Paullus testatur, in christo habitare πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, *omnem plenitudinem diuinitatis*, id est, deitatem perfectam atque absolutam, ac quidem σωματικῶς, in cuius vocis expositione licet discrepent interpretes, aliis illam vertentibus *corporaliter*, in quibus plerique nostrorum sunt: aliis *vere*, SALOMONE quippe GLASSIO in *rhetorica sacr.* p. 119. CAMPEG. VITRINGA *obseruation. sacrar. libr.* I. p. 160. THEODORO HACKSPANIO *miscellan. sacror.* p. 360. itemque *substantialiter*; commode tamen omnes hæ interpretationes locum habere possunt. Vbi enim coniunctim adhibentur, vox hæc σωματικῶς explicari potest partim de inhabitationis subiecto, quod sit *corpus*; siue humana christi natura; partim de illius modo, quod inhabitatio non sit typica et per vmbram, quemadmodum deus in veteri testamento sese manifestauit; sed *vera*; nec effectiua tantum; sed *substantialis*.

§. VIII.

Rationem formalem insignis huiusce magnitudinis animo perpendentes, merito adserimus, eam denotare complexum omnium adtributorum diuinorum; siue ipsam dei maiestatem, per æternam generationem a patre christo communicatam, tot tantisque perfectionibus conspicuam, quas Paullus considerando, mirabundus dicit: christus est ὁ μέγας θεός. Tot pondera; quot verba, numero quidem pauca; sed sensus amplitudine adeo diffusa, vt amplus quoque materiarum campus hic nobis aperiatur. Hinc operæ pretium erit, rem hanc breuiter illustrare ac verborum vim perspicue tradere. Minime cogitari atque adfirmari potest, christum magnum adpellari deum ratione minoris cu-

iusdam,

iusdam, ipsi subordinati, quoniam et ratio humana et euidentissima scripturæ sacræ testimonia, *Deuter.* VI, 4. *Ies.* XLII, 8. XLIV, 6. 1 *Io.* V, 7. deum in essentia vnum esse, docent, ex quo clare satis patet, summum hocce ens nec maiorem; nec minorem; nec etiam æqualem quemdam agnoscere posse. Sane contradictionem inuolueret, si quis dicere vellet, deum esse et tamen quemdam eo esse maiorem, id quod adserendum esset, si christus comparatiue magnus diceretur deus. Qui emphasin verborum adcuratius contemplatur, aliam plane huius adpellationis rationem videbit, nunc a nobis proponendam.

§. IX.

Quod si igitur cognoscere velis rationem magnitudinis diuinæ, quæ in christo est, scias, illum esse magnum suis *attributis,* suisque *operibus.* De vtrisque momentis pauca per breuitatis studium edisserere, constituimus. Primum magnitudo eius diuina elucet ex *attributis,* quæ ipsam essentiam diuinam hincque et magnitudinem constituunt, et ipsi adscribuntur. Quis enim dubitaret, illum esse magnum, quum scriptura sacra nos docet, eum esse *æternum, prouerb.* VIII, 22. *Ies.* IX, 6. *Mich.* V, 1. *Io.* I, 1. XVII, 5. *Ephes.* III, 9. *Coloss.* I, 17. *apocal.* I, 8. II. II, 8. hancque ob rem nullo durationis termino circumscriptum, atque habere exsistentiam sine initio ac fine, cuiusque continuatio omni caret successione, id quod clare monstrat magnitudinem. Quis iesum christum, vt magnum deum agnoscere ac venerari dubitaret, quum iste sit *omnipotens* atque ad omnia, quæ fieri possunt hocque nomine essentiæ diuinæ haud repugnant, producenda valeat, *Phil.* III, 21. *apocal.* I, 8. *Matth.* XXVIII, 18. quum sit *omniscius, Ioann.* I, 49. sqq. II, 25. XVI, 30. XXI, 17.

Coloſſ. II, 3. atque infinita præditus ſapientia: quum ſit *omnipræſens, Matth.* XVIII, 20. *Epheſ.* I, 23. *iuſtus, ſanctus*, vt de aliis attributis, quæ magnitudinem hanc produnt, hic taceamus. De ſingulis enim infra prolixius agemus.

§. X.

Sed tamen, vt rem adcuratius explanemus, de iis præcipue attributis agamus, propter quæ deus ſpeciatim magnus dicitur et ad quæ etiam Paullus in noſtro loco inprimis reſpicit, quando ieſum adpellat magnum deum. Magnus igitur eſt ſaluator per magnam et infinitam *ſapientiam* ſuam. Deus ſolus ſapiens dicitur *Rom.* XVI, 27. 1 *Tim.* I, 17. eo quod nouit, fines amplisſimos mediis obtinere optimis atque ita comparatis, prout ad illos obtinendos requiruntur, quæ ſumma ſapientia in chriſto quoque eſt. Primum enim ipſa *ſapientia* dicitur, ita vt hoc vocabulum ὑποςατικῶς pro quadam diuina perſona ſumatur ac filium dei ſignificet, quoniam non ſolum ſapientia dei per eum maxime ſe manifeſtauit; verum etiam fundamentum et fons omnis veræ ſapientiæ eſt, qua homines præditi ſunt, *prouerb.* VIII, 1. 22. ſqq. *Matth.* XI, 19. *Luc.* XI, 49. collat. *Matth.* XXIII, 34. Id quod etiam veteris eccleſiæ patres, IVSTINVS *martyr*, CLEMENS *Alexandrinus*, AVGVSTINVS atque alii confirmant, ſapientiam hypoſtaticam denotare filium dei. Deinde ſapientia, quatenus vox hæc attributum quoddam indicat, de eo dicitur, quæ pro diuerſitate duarum naturarum duplici modo eſt conſideranda. Quod ſi enim ad diuinam eius naturam reſpiciamus, habet filius dei cum patre eamdem eſſentiam, ac per conſequens etiam eamdem ſapientiam eſſentialem, adeo, vt de eo quoque ſit pronuntiandum, eum eſſe ſolum ſapientem, nosque cum Paullo admirari debeamus eius βάθος πλέτυ καὶ σοφίας

καὶ

καὶ γνώσεως, *Rom.* XI, 33. Ratione humanæ naturæ christus magnus est sua sapientia, partim quia ei sapientia diuina est communicata; partim eamdem per vnctionem spiritus sancti accepit. Hinc Paullus de christo *Coloss.* II, 3. dicit, esse in eo *omnes thesauros sapientiæ,* eosque *absconditos,* id est, cuius sapientia non solum fons sit, a quo omnis vera sapientia ad homines manare debeat, quemadmodum idem apostolus testatur, christum *nobis factum esse sapientiam a deo,* 1 *Cor.* 1, 30. sed etiam ita comparata tamque summa, vt omnem rationis humanæ vim superet. Recte igitur CHRYSOSTOMVS *comment. in h. l.* quum verba hæc explicat, addit: παρ' αὐτοῦ δεῖ πάντα αἰτεῖν. αὐτὸς δίδωσι σοφίαν καὶ γνῶσιν, *ab eo,* christo quippe, *omnia petenda sunt. Ipse dat sapientiam et cognitionem.* Quod autem etiam per vnctionem spiritus sancti secundum humanam naturam præditus fuerit sapientia, et generatim vnctionis huius ratio; et speciatim verba *Ies.* XI, 2. testantur, vbi dicitur, *quiescere super ipsum spiritum sapientiæ,* eum nimirum spiritum, quem Paullus adpellat πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως, *Ephes.* I, 17.

§. XI.

Porro saluator noster magnus est per *omnipotentiam.* Hæc est perfectio diuina, qua summum ens, quidquid est possibile, efficere potest virtute propria ac illimitata, *Ephes.* 1, 19. *Matth.* XIX, 26. *Luc.* 1, 49. collat. *psalm.* CXV, 3. a qua insigni perfectione deus adpellatur quoque magnus *psalm.* CXLVII, 5. Hæc est perfectio, quam et in christo admirari et cognoscere debemus, quod non solum istam habeat per essentiam suam diuinam, *Phil.* III, 21. *apocal.* 1, 8. sed ea quoque humanæ naturæ sit communicata, *Matth.* XXVIII, 18. Quocirca dicitur *Ies.* IX, 6. אל גבור *deus fortis,* et 1 *Cor.* 1, 24. δύναμις

δύναμις θεοῦ, potentia dei eaque omni humana virtute ſuperior. Huius infinitæ potentiæ chriſtus clariſſima dedit documenta, ac quidem generatim in operibus diuinis, ad regnum naturæ pariter ac gratiæ ſpectantibus ac paullo poſt a nobis enarrandis; ſpeciatim in miraculis, quæ ita ſunt comparata, vt diuinitas eius, vera illius a deo miſſio, euangelicæ doctrinæ veritas ex iſtis ſolide demonſtretur. Edidit enim illa non aliena, vt alii prophetæ omnes, ac poſtea apoſtoli; ſed propria ſua poteſtate, cui *Marcus* nihil detrahit, quando VI, 5. dicit: *non poterat ibi virtutem vllam facere.* Hoc quippe effatum non de abſoluta potentia intelligendum eſt; ſed de ea, quam chriſtus pro ſapientiæ ac quarumdam circumſtantiarum ratione tantum exercere volebat. Quam in rem IO. CLERICVS *not. ad Hammondi nouum teſtament. h. l.* p. 230. bene obſeruat: *per leges, quas ſibi ipſi poſuerat, non licuit, ea miracula edere. Non ſolebat enim miracula edere, vbi a ſe nemo petebat; aut vbi fieri ab eo poſſe, nemo credebat. Itaque* non potuit, *perinde eſt, ac noluit:* adde HERMANNVM WITSIVM in *meletem. Leidenſ.* p. 342. IO. SAVBERTVM in *operib. poſthum.* p. 72. et SALOM. DETLINGIVM *obſeruat. ſacr. part.* I. p. 118. Nec eſt, quod obiicias, ipſum chriſtum *Io.* V, 19. dixiſſe: *amen, amen, dico vobis, non poteſt filius a ſemetipſo operari, niſi viderit patrem operantem,* quoniam hiſce verbis tantum ſignificat, ſe nec potentiam; nec voluntatem a patris potentia ac voluntate diuerſam habere; ſed quum eamdem habeat cum patre eſſentiam, vtriusque, patris et filii, eamdem quoque potentiam et voluntatem operandi eſſe. Quod autem chriſtus propria virtute miracula ediderit, iterum ex eo patet, quia aliis poteſtatem, miracula in ſuo nomine faciendi, dedit: immo maiora faciendi, quam ipſe fecerat. Ita enim promiſerat:

credens

credens in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora illis faciet, Io. XIV, 12. Plura de miraculis christi exhibent HERMANNVS WITSIVS in *meletem. Leidens.* p. 330. sqq. SAMVEL WERENFELSIVS in *syllog. dissert. theolog.* p. 139. sqq. atque alii laudati a IO. ALBERTO FABRICIO in *delectu argum. et syllab. scriptor. de verit. rel. christ. cap.* 43. p. 696.

§. XII.

Magnus est deus, quia ei competit quoque tenerrimus *amor*, ea quippe perfectio, qua benignissimum numen creaturis omnibus bene cupit ac salutem earum promouere studet. Hinc a Ioanne ipse amor dicitur deus, quando dicit 1 *epist.* IV, 16. ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐςὶ, hocque effato significat, amorem in deo esse essentialem, hinc summum, aeternum, constantem, sanctum, vniuersalem atque efficacem. Speciatim habito respectu ad homines, creaturas omnium visibilium praestantissimas, φιλανθρωπία diuina a Paullo celebratur *Tit.* III, 4. ac prout amor ille insignis sese exerit erga homines miseria adflictos, τῆς χάριτος mentionem iniicit, *Tit.* II, 11. Idem ille amor diuinus summus ac perfectissimus christo haud raro adscribitur, *Ephes.* V, 2. 1 *Petr.* II, 21. 2 *Cor.* XIII, 13. quem vltimum locum ideo notatu dignum censemus, quod Paullus gratiam filii ac caritatem patris arctissime connectit, atque vtramque eodem modo Corinthiis adprecatur. Hic iesu christi amor inprimis erga totum genus humanum plane insignis est et *adfectu* et *effectu*. Quod si ad *adfectum* ipsum, prout est in corde menteque, respiciamus; magnitudinem eius colligere licet ex verbo σπλαγχνίζομαι, de christo *Matth.* IX, 36. XIV, 14. XV, 32. *Marc.* VI, 34. VIII, 2. vsurpato. Id enim vti tantum in sacris litteris occurrit; nec apud profanos legitur;

 ita

ita magnam significandi vim præ se habet atque eiusmodi tenerrimum amoris ac misericordiæ adfectum indicat, quo omnia viscera quasi commouentur, vti pluribus ostendunt IO. OLEARIVS *de stilo noui testam.* p. 18. sqq. IO. IAC. SCHVDT in *deliciis ebræo-philolog.* p. 245. SAL. GLASSIVS in *philolog. sacr.* p. 1547. inprimis CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS in *dissertat. de emphasi verbi σπλαγχνίζομαι.* Idem confirmant lacrimæ, quas christus hominum caussa profudisse legitur *Luc.* XIX, 41. *Io.* XI, 35. quæ quamuis sint signa et documenta tristitiæ; ipsa tamen hæc tristitia supponit singularem amorem erga id, cuius amissio nos tristes efficit. Pro hac interna amoris iesu christi magnitudine, omnino ille magnus quoque est externe; siue suo *effectu,* id quod ex paullo post dicendis de operibus christi, inprimis redemtione, patebit.

§. XIII.

Ita probauimus diuinam christi magnitudinem ex eius adtributis, speciatim sapientia, potentia atque amore. Idem demonstrandum est ex illius *operibus,* quæ partim ad regnum naturæ; partim ad regnum gratiæ spectant. In illo primum occurrit *creatio.* Per christum omnia creata esse, adserit Paullus *Coloss.* 1, 16. consentiente Ioanne 1, 3. atque Dauide *psalm.* XXXIII, 6. CII, 26. quod et apostolus 1 *Cor.* VIII, 6. *ebr.* 1, 10. testatur. Nec est, quod obiicias, dici tantum omnia *per christum* esse creata, hincque christum in opere creationis non tamquam caussam efficientem; sed instrumentalem considerandum, eique minorem gloriam; quam patri adscribendam esse. Primum enim constat, præpositionem διά sæpe etiam de caussa efficiente vsurpari, inprimis quando de deo sermo est. Sic Paullus dicit, se esse apostolum διὰ θελήματος θεοῦ, 1 *Cor.* 1, 1. 2 *Cor.* 1, 1. quis autem ex eo colligere velit, voluntatem dei

dei deo esse inferiorem? Sic idem adpellat se apostolum διὰ ἰησοῦ χριστοῦ καὶ θεοῦ πατρὸς, *per iesum christum et deum patrem*, *Gal.* I, 1. ac clare indicat, se æque a christo; ac a patre tamquam caussa efficiente esse constitutum. Sic christus dicitur excitatus a mortuis διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρὸς, *per gloriam patris*, *Rom.* VI, 4. adde *Rom.* I, 5. XI, 36. 1 *Cor.* 1, 9. Deinde filius dei absolute tamquam creator mundi describitur, quando apud *Ies.* XLVIII, 13. legimus: *manus mea fundauit terram et dextra mea ad palmos extendit cælum;* hæc autem verba esse messiæ, patet ex *vers.* 16. et *psalm.* CII, 26. *arte terram fundasti, et opus manuum tuarum est cælum,* quæ ad filium *ebr.* 1, 10. adplicantur, vti pluribus FRIDER. ADOLPH. LAMPE *comment. in euang. Ioann.* I, 3. *tom.* I, p. 300. sq. ostendit. Quæ quum ita sint, quis ex eo magnitudinem christi non cognoscat? Mundus magnum opus est, ad quod efficiendum requirebatur deus, magna ac infinita *sapientia* præditus, ad formandas in intellectu diuino ideas, quibusuis rebus creandis adeo conuenientes, vt talis existeret mundus, qualis ad obtinendum finem, gloriæ scilicet diuinæ manifestationem, comparatus esse deberet: itemque ad res deinde egregio, quo adparere deberent, ordine disponendas, id quod Moses diserte innuit, quando *Genes.* I, omne טוב מאד creatum, adserit: confer *ps.* CXXXVI, 5. et CXXXIX, 14. Nec minus creatio est euidentissimum infinitæ *potentiæ* documentum, *Ies.* XL, 26. *Ier.* XXXII, 17. adeoque solus deus omnia facere, cælos extendere ac terram per seipsum expandere, dicitur *Ies.* XLIV, 24. Rem enim antea non existentem ex nihilo producere, nemo præstare potest, nisi diuina virtute instructus, hinc et Siracides post institutam sedulam creaturarum contemplationem, ita concludit; *magnum eum oportet esse deum, qui hæc omnia fecit,* XLIII, 5.

 et

et Paullus ex opere creationis τὰ ἀόρατα τῦ θεῦ, æternam eius potentiam ac deitatem reuerenter agnoſcendam eſſe, docet *Rom.* I, 20. Immo vt deus per creationem ſpeciatim ſapientiam et potentiam manifeſtauit; ita ex ea elucet quoque illius *benignitas*, *pſ.* CXXXVI, 5. ſq. adeo vt et cæli gloriam dei enarrent, *pſ.* XIX, 2. At vero quum filius dei æque ac pater omnia condiderit; hoc ſane creationis opus, quod effecit, luculenter docet, eum magnum eſſe deum, magnum ſapientia, potentia ac benignitate.

§. XIV.

Creationem in regno naturæ excipit *prouidentia*, opus adeo magnum, vt infinitæ chriſti perfectiones ſupra recenſitæ itidem ex eo eluceant clarisſime, nosque fateri cogamur, eum magnum eſſe deum. Quum enim tale ſit opus, quod ſoli deo eſt proprium, *pſalm.* CIV. CXXXIX. CXLVIII, 5. *Matth.* VI, 26. *actor.* XVII, 25. 26. atque expreſſe chriſto tribuatur *Io.* V, 17. *Coloſſ.* I, 17. *ebr.* I, 3. quod etiam ex opere creationis, ab opere prouidentiæ haud ſeiungendo, itemque ex θαυματυργίᾳ, quam chriſtus ſæpe manifeſtauit ac probauit, ſe eſſe totius vniuerſi dominum ac poſſe pro arbitrio leges motuum ac ordinarium naturæ curſum ſuſpendere ac mutare, patet, ſane ex eo diuinam chriſti magnitudinem debemus cognoſcere. Omnino ex illo videmus magnitudinem *ſapientiæ*, qua ſapientisſime non ſolum generatim omnibus proſpicit creaturis pro ratione finium, qui illis ſunt conſtituti, *eccleſ.* I, 4. ſqq. ſed etiam ſpeciatim omnibus hominibus, ſiue ad ſingulas vitæ humanæ partes; ſiue ad eorum actiones reſpiciamus. Quod enim ad vitæ humanæ partes adtinet, prodit ſe prouidentia dei hincque et chriſti in ingreſſu, progreſſu, egreſſu, quam in rem teſtimonia ſcripturæ ſacræ

ſatis nota ſunt, quumque deus certum vitæ terminum conſtituat, ſapientisſime agit, quando illum vel piis modo præcidit, vt calamitatibus et periculis eripiantur, *2 chron.* XXXIV, 28. modo prorogat ſecundum promiſſum, *Exod.* XX, 12. *prouerb.* III, 1. 2. IV, 10. vel impiis in pœnam abrumpit, *Deuter.* XXVIII, 21. 22. Vbi autem ad actiones hominum reſpiciamus, ſapienter promouet bonas; malas autem partim impedit; partim permiſſas in bonum finem dirigit, in peccantium quippe ἑαυτογνωσίαν, *Luc.* XXII, 32. in aliorum præmonitionem, *Luc.* XVII, 32. in adflictorum probationem, vti ex Iobi exemplo patet, et in glorificationem, quod in Ioſepho videmus. Ad hanc tamen ſapientiam, quæ in prouidentia chriſti conſpicua eſt, accedit *omnipotentia.* Hinc et chriſtum τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως omnia ferre, ac ſingula in ipſo, tamquam baſi atque firmisſimo fundamento, conſiſtere, docet Paullus, *ebr.* I, 3. *Coloſſ.* I, 17. egregio ſane teſtimonio, totum hoc vniuerſum ne ad momentum quidem durare poſſe, ni verbo magni huiuſce dei potentisſimo conſtanter fulciatur, ac prout verbo omnia creata dicuntur, *Geneſ.* I. ita et verbo quæuis conſeruari, ex loco Paullino colligitur. Immo vt chriſtus in ſua prouidentia ſapiens et omnipotens eſt; ita pro magnitudine ſua diuina, magnam quoque ac infinitam declarat *bonitatem* atque amorem, quo fertur in res creatas, intenſisſimum, easdem conſeruando, *pſalm.* LXXV, 4. *actor.* XVII, 28. *ebr.* I, 3. iis victum benigne procurando, *pſalm.* CXLVII, 9. *Matth.* VI, 25. ſqq. *Luc.* XII, 24. *actor.* XIV, 17. cum cauſſis ſecundis vniuerſaliter concurrendo ad producendos effectus, adeo, vt in *deo viuamus, et moueamur, et ſimus, actor.* XVII, 28. collat. *Iob.* XXXVIII, 24. ſqq. 1 *Cor.* XII, 6. itemque pios a calamitatibus et periculis liberando: actiones illorum ad

 promo-

promouendam felicitatem iuuando, ac quæ alia benignitatis huius ſunt documenta,

§. XV.

In regno gratiæ itidem plurima magnitudinis chriſti diuinæ momenta deprehendimus, a poſteriori commonſtrantia, verum eſſe Paulli effatum de chriſto magno deo, magna ſapientia, potentia, bonitate prædito. Peccatorum inprimis expiatio, ac noſtra cum deo reconciliatio per mortem ſaluatoris cruentam adquiſita, innumera præbet magni huius dei documenta, tanta quidem, vt Paullus in demonſtranda magnitudine chriſti diuina illuſtrisſimum redemtionis opus speciminis loco attulerit. Facta enim *verſ.* 13. τȣ͂ μεγάλȣ Θεȣ͂ mentione, ſtatim ſubiicit: ὅς ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν. quum vero ipſe iehouah ſe ſolum pronuntiet ſaluatorem, *Ieſ.* XLIII, 11. et chriſtum homines æternæ pœnæ ſubiectos pretioſo ſanguine ſuo redemiſſe, ex *loc. cit.* itemque *Ieſ.* LIII, 4. *Coloſſ.* I, 13.14. 1 *Petr.* I, 18. *ebr.* I, 3. aliisque ſcripturæ locis ſciamus, de magnitudine eius diuina non eſt, quod dubites. Hanc tamen vt diſtincte cognoſcas, cogites, ſummam chriſti *ſapientiam* in hoc opere redemtionis ſeſe prodidiſſe, id quod tam ſpontanea eius ad opus illud ſuſcipiendum coram tribunali diuino declaratio; quam ipſa eiusdem adminiſtratio mirum in modum confirmat. Homines in tempore lapſuros ac libertate ipſis adtribuenda abuſuros eſſe, iam ab æterno erat præuiſum, adeoque et vi iuſtitiæ infinitæ, pœnis infernalibus digna reputabatur vniuerſa Adami poſteritas. Etenim aut ſatisfactio præſtanda; aut pœna ſubeunda erat peccatoribus. Prius ab hominibus fieri non poterat, quoniam et pro ſua eſſentia et pro ſtatu corrupto omni plane facultate erant deſtituti, infinitam, quæ neceſſaria erat, præſtandi

di satisfactionem, *psalm.* XLIX, 8. 9. Hinc requirebat quidem rigor iustitiae dei infinitae poenam; at vero quum haec iustitia misericordiae diuinae itidem essentiali haud quidquam posset detrahere, sapientia dei tale temperamentum iustitiae ac benignitatis constituit, vt veluti aequilibrium vtriusque exsisteret. Deus enim pater dedit filium suum, vt mediatorem ac seruatorem generis humani, et admisit mortem vicariam, quod est munus gratiae ac benignitatis; pro iustitia autem quum satisfactionem ab humano genere requireret, filius dei in se suscepit mediatoris partes, 2 *Tim.* II, 5. sponte declarando, quod carne humana vestitus in tempore mori, ac iustitiae per peccata laesae satisfacere vellet, *psalm.* XL, 7. 8. 9. hinc et omnes infirmitates nostras portasse, *Ies.* LIII, 4. *Io.* I, 29. ac singula hominum peccata in corpore suo obtulisse saluatorem, confirmat scriptura, 1 *Petr.* II, 24. ita, vt ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ θεοῦ, *Ephes.* III, 10. in hoc salutis humanae negotio sese proderet. Accedente tempore noui testamenti, quo sponsor totius generis humani ad expianda peccata mittebatur ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, *Rom.* VIII, 3. sapientia eius inter alia in eo erat conspicua, quod in abiectissimo exinanitionis statu semper sibi ob oculos posuerit voluntatem patris de redimendo genere humano, *Io.* XV, 10. XII, 49. variasque passionis circumstantias sapientissimo consilio ita disponere nouerit, vt verbum patris, per prophetas manifestatum, tam ratione temporis; quam ipsius passionis exacte adimpleretur. Quocirca in extremis mortis angustiis animam suam patri commendans, alta voce clamabat: τετέλεσται, *Io.* XIX, 30. Hoc insigne sapientiae christi diuinae documentum in opere redemtionis editum, in veteri testamento iam commemoratum legimus, *Ies.* LII, 13.

§. XVI.

Præter ſapientiam infinitam, in opere redemtionis magnitudinem plane diuinam manifeſtauit ſaluator per immenſam *potentiam,* quam opus illud omnino requirebat. Hanc redemtionis magnitudinem ſi diſtincte atque adcurate velis cognoſcere, tria inprimis momenta, *medium* quippe, *obiectum, finem effectumque* redemtionis huius vt expendas, neceſſe eſt. *Medium* illius fuit ſatisfactio, quam chriſtus infinitæ dei iuſtitiæ præſtitit, pro nobis proque omnibus peccatis noſtris, non ſolum legem diuinam adcurate implendo; verum etiam patiendo, ſanguinem effundendo ac mortem cruentam ſubeundo. Hinc Petrus dicit, nos liberatos eſſe non argento: non auro, quamuis in rebus ſeculi ſummum habeant locum; ſed *pretioſo chriſti ſanguine,* 1 *epiſt.* I, 18. 19. eiusmodi ſanguine, quo deus eccleſiam ſibi comparauit, *actor.* XX, 28. qui pretium habet infiniti valoris. *Obiectum* non pars quædam; ſed totum genus hominum, cuiuscunque ſtatus; aut conditionis, quocunque loco ac tempore vixerint, adhuc viuant et in poſterum viuere debeant, conſtituit. Id quod per ſcripturæ ſacræ teſtimonia *Io.* I, 29. III, 16. 17. 2 *Cor.* V, 19. 1 *Io.* II, 2. *Rom.* XIV, 15. 1 *Cor.* VIII, 11. 2 *Petr.* II, 1. aliaque, tam euidens ac certum eſt, vt reformatæ eccleſiæ doctores, IANSENII diſcipuli atque alii gratiæ particularis defenſores contra lucem pugnent, quando chriſtum pro omnibus, electis ac reprobis, ſatisfeciſſe, negant, mirumque ſit, quod PETRVS VAN MASTRICHT in *theolog. theoret. pract. lib.* V. *cap.* 18. §. 39. p. 628. ſcribat: *nullibi chriſtus mortuus dicitur pro omnibus et ſingulis.* Quodſi denique *finem effectumque* addas, liberauit nos chriſtus a peccato, vt veniam illius impetrare: a vi eius dominante, immo ab ipſo illius malo poſſimus liberari: quocirca Ioannes dicit, chriſtum aduenisse, vt pecca-

peccata nostra auferret, 1 *epist.* III, 5. sanguinemque eius *nos expurgare ab omni peccato*, 1 *epist.* I, 7. quo et spectat grauissimum Paulli effatum, christum nobis esse factum a deo *iustitiam*, quæ respicit ad remissionem peccatorum, *sanctitatem*, cuius vi malum peccati, quod post regenerationem et conuersionem in nobis remanet, magis magisque debilitatur: et *liberationem*, quæ eo tendit, vt si in christo moriamur, penitus ab omni peccato liberemur, 1 *Cor.* I, 30. add. *Gal.* III, 13. Porro christus liberauit nos a morte; siue omni peccati pœna, a morte spirituali, temporali et æterna, *Hos.* XIII, 14. *Io.* XI, 25. 26. 2 *Tim.* I, 10. 1 *Thess.* I, 10. etiam a diabolo eiusque potestate, 1 *Io.* III, 8. *Col.* I, 13. Quemadmodum autem hac ratione id meruit, vt ab omni horum malorum genere possimus liberari; ita quoque sunt summa atque excellentissima bona, quæ nobis comparauit, pristina quippe dei gratia, iustitia, ius filiorum dei cælestisque hæreditatis, pax et tranquillitas, dona spiritus sancti ac ipsa sempiterna felicitas. Quis dubitaret, vbi hæc omnia adcurate expendit, opus redemtionis vti summum cognoscere? quis dubitaret, adserere, quod ad illud efficiendum infinita necessaria fuerit potentia? Sane si omnes homines, omnes imperatores ac reges suas vires coniungerent: omnes suas diuitias atque opes adferrent, plane nihil contra peccatum, conscientiæ morsus et dolores: contra mortem ac diabolum valerent. Igitur tuus redemtor ac seruator, iesus christus, magnus est redemtor: magnus deus.

§. XVII.

Superest, vt *gratiam* ac *misericordiam* christi infinitam, ex opere redemtionis plenis radiis effulgentem, tamquam egregium magnitudinis diuinæ specimen, pia

mente perpendamus, duce quidem apoſtolo *Tit.* II, II. eamdem celebrante: ἐπεφάνη γὰρ ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις. Quamquam enim gratia illa, circa ſalutis noſtræ negotium occupata, tribus deitatis perſonis ſit æque communis, adeoque et hic vocabulum *deus* eſſentialiter ſumi queat; cohærentia tamen horum verborum cum iis, quæ proxime præcedunt, luculenter docet, chriſtum eſſe, cui Paullus admirandam ac ſalutarem hanc gratiam, modo quodam ſpecialisſimo, adtribuerit. Vtitur autem apoſtolus hoc loco vocabulo, attentione noſtra perquam dignisſimo: ἐπεφάνη, inquit, ἡ χάρις, quæ vox ad magnitudinem gratiæ huius diuinæ eiusque maieſtatem omnibus teſtificandam, ſingulari quadam emphaſi fuit adhibita. Habes ſane hic gratiam ſub ſchemate ſolis repræſentatam, ſplendore ſuo totum hoc vniuerſum illuminantis, adeo, vt nemo mortalium ab vſu eius excludatur, niſi qui oculis obducat valuas, quo minus lux iſta in intimos cordis receſſus penetrare queat. Quæ omnia ſi quis conſideret, omnino fateri debet, eum magnum eſſe deum, magno ac infinito amore præditum, qui ſumma miſericordia amplexus eſt hoſtes ſuos infenſisſimos, *Rom.* v, 10. adeo quidem, *vt animam ſuam poſuerit pro ouibus, Io.* x, 15. Magnum eſſe amorem, ſi quis moriatur pro amicis, teſtatur æterna veritas, *Io.* xv, 13. ſed quantus eſt ille amor, qui tendit ad hoſtes ac peccatores nequisſimos expiandos! Tantus ſane eſt, vt Paullus illum adpellauerit: τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην, *Epheſ.* III, 19. amorem omnem captum humanum longisſime transſcendentem, adeoque non niſi a deo vnice vero, magno atque æterno proficiſcentem.

§. XVIII.

Sed quum omnis noſtra cognitio minime recta ac legitima eſſe posſit, niſi ſimul ſit viua efficaxque ac perdu-

perducatur ad praxin, quemadmodum tota theologia a Paullo ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν adpellatur, *Tit.* I, 1. merito quomodo hæc omnia adhuc pertractata ad verum pietatis ſtudium ſint adplicanda, paucis eſt diſpiciendum. *Mendax* enim *eſt, qui dicit, noui deum et mandata eius non ſeruat,* 1 *Io.* II, 4. Iis igitur, quæ de magnitudine chriſti diuina antea diſſeruimus, varia chriſtianorum officia per legitimas conſequentias nobis commendari, facile patet. Ipſe Paullus nexum doctrinæ a nobis illuſtratæ cum vero cultu diuino arctisſimum haud obſcure tradit, *verſ.* II. Poſtquam enim in iis, quæ proxime præcedunt, de variis chriſtianorum officiis ſedulo obſeruandis fuerat loquutus, dicto verſu addit rationem, cur illis omni tempore ſatisfacere debeant, ſane grauisſimam: ἐπεφάνη γὰρ, inquit, ἡ χάρις παιδεύουσα ἡμᾶς, ἵνα ἀρνησάμενοι, ac *verſ.* 14. ſubiungit: ὃς ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, cetera.

§. XIX.

Secundum antea dicta ſummæ ac infinitæ perfectiones ſoli deo propriæ conſtituunt magnitudinem chriſti diuinam, ergo et cultum eumdem, tam internum; quam externum, quo patrem proſequimur, ipſi vt præſtemus, requirit eadem magnitudo diuina, *Io.* V, 23. et quidem gradu adeo eminenti, vt magnitudini huic, prout ſecundum humanæ naturæ indolem fieri poteſt, conueniat. Magnus itaque ſit amor, quem ipſi debemus: timor magnus: magna denique fiducia ac obedientia noſtra. Magnitudo *amoris,* quo deum proſequi debemus, *Deuter.* VI, 5. magna ſignificandi vi exprimitur voce מאד quando dicitur: ואהבת את יהוה אלהיך בכל־מאדך *diligas iehouam ex tota facultate tua,* quo ipſo vocabulo haud vulgarem, quin potius magnum ac eminentem amorem præſcribit

ſummum numen, in eo inprimis ſe prodentem, vt, omnibus ſeculi huius bonis abiectis, intimo cordis deſiderio feramur in deum, veramque felicitatem noſtram in eius, tamquam ſummi boni, fruitione ſemper quæramus. Quum vero chriſtus ipſe fuerit legislator, *actor.* VII, 38. collat. *v.* 30. 35. *ebr.* XII, 25. 26. adeoque et hac ratione magnum ſeſe exhibuerit ac infinitum deum, magno quoque amore ab ipſo præſcripto eum vt complectamur, vtique ſumus obſtricti, prout Paullus maledictum pronuntiat iſtum, qui non amet ieſum chriſtum, 1 *Cor.* XVI, 22. Ipſius huius amoris ea eſt indoles, vt cum iſto coniuncta ſit partim abnegatio ſui ipſius, qua animus ab omnibus ſeculi rebus abducitur et deo plane conſecratur, *Matth.* VI, 24. *Rom.* VIII, 7. *Iac.* IV, 4. partim virtus; ſiue ſtudium, omnes actiones ad voluntatem diuinam componendi, *Io.* XIV, 23. 1 *Io.* V, 3. Rationes, quibus omnes homines commoueri debent ad amorem erga chriſtum ſincerum, in ſcriptura ſacra grauisſimæ ſunt enarratæ, quarum principem Paullus in loco, quem adhuc explicauimus, eo ipſo indicat, quum magnitudinem chriſti diuinam prædicat. Quum enim nihil amemus, niſi cuius bonitatem ac perfectionem, eamque ad nos ſpectantem, habeamus perſpectam; Paullus vero in loco citato ſummas filio dei adtribuat perfectiones, a quibus noſtra origo, conſeruatio, redemtio atque æterna felicitas dependeat, eo ipſo et magnum omnibus commendat erga chriſtum amorem, ita, vt eum primario propter ipſam illius magnitudinem in ſe ſpectatam; ſecundario autem propter noſtram felicitatem amare debeamus, inprimis quum nos ſibi inimicos amauerit. Hinc Ioannes dicit: *nos eum amamus, quoniam prior ipſe nos amauit*, 1 *epiſt.* IV, 19.

§. XX.

§. XX.

Magna et infinita est christi maiestas, quæ vti et omnipotentiam iustitiamque in se continet; ita quoque necesse est, vt ad cultum christi *timor* accedat, *ecclesiast.* XII, 13. timor quippe filialis, a Paullo requisitus, *Rom.* VIII, 15. cum sincero amore coniunctus, 1 *Io.* IV, 18. quo regeniti studiose cauent, ne quidquam peragant, quo benignissimus saluator offendatur; vel ad iram concitetur. *Timeant* itaque *dominum sancti ipsius: nam illi haud carent vllo bono, psalm.* XXXIV, 10. Quum autem pii variis miseriis ac calamitatibus affligantur ac probe sciant, iesum christum, magnum deum, et posse et velle ipsis subuenire, non possunt non *fiduciam* in illo collocare, atque ab eo omnia bona, spiritualia et temporalia, inprimis vitam æternam secundum præscriptum ordinem exspectare. Hac fiducia præditi in voluntate christi placide adquiescunt: suas calamitates libenter suscipiunt, et patienti ferunt animo, intelligentes mysterium crucis ac scientes, *amatoribus dei omnia cooperari ad bonum, Rom.* VIII, 28. ac magnam exspectandam esse mercedem, *ebr.* XII, 11. Quodsi porro, vt antea demonstrauimus, christus est creator, et hinc in se continet rationem existentiæ nostræ: itemque conseruator ac redemtor, princeps nostræ salutis, ac per consequens dominus noster, omni iure a nobis postulat *obedientiam*, nosque decet, totam vitam nostram ad voluntatem illius ac sanctissimum exemplum componere, *Ierem.* X, 7. 11. 12. 2 *Cor.* V, 15. *Tit.* II, 14. *Matth.* XI, 29. *Io.* XIII, 15. 1 *Petr.* II, 21. Quoniam vero christus magnus est deus, magnam quoque a nobis requirit obedientiam, cuius magnitudo considerari potest ratione *fundamenti*, quod est fides in iesum christum, summum dei opus, per quam fideles christo spontaneum præstant obsequium, *ps.* CX, 3.

1 *Io.* v, 3. ratione *obiecti,* quod non quædam; sed omnia dei præcepta sunt, quæ summo studio seruare, sincere adnituntur, *psalm.* CXIX, 6. 128. *Luc.* I, 6. *Iacob.* II, 10. et ratione *modi,* quando ne vllum diuinum præceptum scientes volentesque violant, I *Io.* III, 9. Ex his colligendum est, qualis perfectio regenitis in scriptura sacra adtribuatur, quando de illis dicitur, quod *impleant legem, seruent præcepta dei.* At vero, quia natura hominis per lapsum tam misere est deprauata, vt mortuos in peccatis, adeoque filios iræ natura nosmet pronuntiet Paullus *Ephes.* II, 1. 3. et hinc infideles ad omne opus bonum sint ἀδόκιμοι, *Tit.* I, 16. coll. 2 *Cor.* III, 5. et quidquid non progreditur ex fide, peccatum sit, *ebr.* XI, 6. necesse est, vt confugiamus serio contriti ad magnum hunc deum, qui simul est magnus saluator, eum humillime rogantes, vt fidem in nobis accendat: vires spirituales nobis largiatur: conseruet atque augeat, quo apti reddamur ad magna ista christianismi officia. Per christum enim omnia valemus, *Phil.* IV, 13. et sine eo nihil, *Io.* XV, 5.

CAP. II.

DE CHRISTO, DEO VERO.

I. IOANN. V, 20.

Οἴδαμεν δὲ, ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἥκει, καὶ δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν, ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινόν. καὶ ἐσμὲν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἰησοῦ χριστῷ. οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος.

§. I.

Ex iis, quæ superiori capite dicta sunt, satis patet τῆς ὁμοουσίας christi cum patre veritas; addimus tamen insigne

insigne aliud testimonium de diuinitate eius, quod Ioannes exhibet. Ille enim dicit: ὅτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεός, quam propositionem si rite intelligere et quae in ista continetur, veritatem adcurate capere velimus, necesse est, vt illius et *subiectum* et *praedicatum* consideremus. Quod ad *subiectum* adtinet, constituit id pronomen ὅτος, quod ad christum referendum esse, manifestum est: I.) ex *pronominis* ὅτος *natura*, quod demonstratiuum ac simul relatiuum est, et pro indole omnis sermonis logica semper referendum est ad proxime antecedens, nisi sensus necessario postulet, vt ad remotius referatur. At heic nomen antecedens proxime et immediate est nomen ἰησοῦ χριστοῦ, nec vlla est caussa, cur ad hoc nomen *christi* pronomen illud referre haud debeamus. Non repugnat sensus, quoniam, quod hac ratione de christo dicitur, ipsum esse *verum deum*, etiam in aliis scripturae locis de eo adseritur: II.) ex *coniunctis vocibus:* καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος, quae ad idem subiectum pertinent. Ioannes enim dicit: ὅτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Constat sane, quod et alibi, inprimis a Ioanne, hic loquendi modus de christo adhibeatur ac dicatur, eum esse vitam, vitam aeternam: in eo esse vitam: nos habere per illum vitam, *Io.* I, 4. XI, 25. sqq. XIV, 6. 1 *epist.* I, 2. IV, 9. V, 11. 12. 13. Vbi igitur verba: ζωὴ αἰώνιος de christo intelligas, quod omnino fieri debet, sane et illa: ἀληθινὸς Θεὸς ad illum referri debent, quoniam immediate inter se nexa sunt: III.) ex *tautologia*, quae heic admittenda esset, si pronomen ὅτος non ad nomen proxime antecedens; siue ad christum; sed ad remotius referatur. Hoc remotius nomen est ipse ἀληθινὸς Θεὸς hincque si ad illud pronomen referas, inepta haec existit explicatio: *verus deus est verus deus:* IV.) ex *scopo atque argumento epistolae Ioanneae*. Argumentum illius etiam est

eſt elencticum, quum Ioannes diſputat aduerſus eos, qui eo tempore negabant, ieſum verum eſſe meſſiam, ac modo illius veram humanam naturam; modo diuinitatem impugnabant. Vtrique horum aduerſariorum generi ſe oppoſuit. Ad illos, qui ieſum chriſtum in carne veniſſe, hoc eſt, qui chriſtum verum hominem eſſe, inficiabantur, *docetæ* itemque *phantaſiaſtæ* adpellati, quoniam contendebant, chriſtum tantum vmbram; ſiue imaginem humanæ naturæ præ ſe tuliſſe et ſpecie quadam inani aliorum ſefeliſſe oculos, ſine dubio 1 *epiſt.* I, 1. 2. IV, 1. 2. 3. reſpicit. Hos autem, qui negabant, ieſum eſſe filium dei hincque verum deum, quod Cerinthianos feciſſe, conſtat, perſtringit II, 22. IV, 1. ſqq. 14. 15. V, 5. ſqq. Quod quum ſatis manifeſtum eſt, ac memorata loca clare euincunt, Ioannem in epiſtola hac diligenter docere, ieſum eſſe filium dei hocque nomine verum deum, atque errorem grauiſſimæ veritati oppoſitum reiicere, ea ſane, quibus paullo ante probauimus, τὸν ἀληθινὸν θεὸν chriſtum eſſe, confirmantur. Legendi ſunt ab illis, qui plura hac de re deſiderant, ABR. CALOVIVS in *bibl. illuſtrat. ad* 1 *Io.* V, 20. p. 1625. IOACH. LANGIVS in *exegeſi epiſtolarum Ioann.* p. 758. ſqq. et in *cauſſa dei tom.* III. p. 332. CHRIST. AVG. HEVMANNVS in *diſſert. de vera deitate ieſu chriſti ex* 1 *Io.* V, 20. DIONTSIVS PETAVIVS *dogmat. theologic. de incarnatione lib.* I. *cap.* 4. *tom.* V. p. 8. CAMPEGIVS VITRINGA *obſeruat. ſacrar. lib.* V. *cap.* 12. p. 155. IO. FRANC. BVDDEVS de *eccleſia apoſtol.* p. 550.

§. II.

Illuſtre hoc Ioannis teſtimonium de diuinitate ieſu chriſti Sociniani omni ſtudio labefactare, conantur ac modo hanc; modo illam adhibent exceptionem, ita tamen, vt quam male cauſſæ ſuæ conſulant, haud obſcure

obſcure ſignificent. Primum negant, pronomen ὗτος ad chriſtum reſpicere, ac contendunt, illud ad patrem eſſe referendum, ita vt nunc ad parentheſin confugiant, qua verba præcedentia: καὶ ἐσμὲν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἰησοῦ χριστῷ ſint includenda; nunc probare velint, pronomina relatiua non ſemper ad nomina, quæ proxime antecedunt; ſed etiam ad remota referri. Deinde concedunt, quamuis non omnes; nonnulli tamen, ἀληθινὸν θεὸν intelligendum eſſe de chriſto; diſtinguendum autem eſſe putant inter deum proprie et improprie ſic dictum, monentque, chriſtum eſſe deum non ratione eſſentiæ ac proprie; ſed improprie propter poteſtatem ipſi a deo proprie dicto datam, atque heic *verum deum* adpellari, quoniam poteſtas ei conceſſa non ad ſpeciem atque vmbram; ſed vere omnino fuerit. Sunt quoque, qui pronomen ὗτος referunt cum ad patrem; tum ad chriſtum, ſicque ad totum illud, quod proxime præcedit, hoc modo: *in eo, quod diximus, eſt ille verus deus, et vita æterna.* Hæc atque alia erroris ſui præſidia quærunt Sociniani propter clariſſimum hoc de diuinitate ieſu chriſti teſtimonium, vti ex illorum libris patet. Sic in *catechiſmo Racouienſ. ſect.* IV. *cap.* I. p. 35. dicitur: *verba:* hic eſt ille verus deus, *nego, referri ad dei filium, non quod negem, chriſtum eſſe ſuo ſenſu verum deum; ſed quod negem, eum eſſe illum verum deum, de quo locus iſte loquitur: quia chriſtus nec vſpiam cum articulo deus ſimpliciter; aut deus verus adpellatur, et in hoc ipſo loco manifeſte ab illo vero deo, quemadmodum et in ſimili apud eumdem Ioannem* XVII, 3. *ab illo ſolo vero deo diſtinguitur. Nec vero quidquam iuuat aduerſarios, qui propterea hæc ad chriſtum referri volunt, quod verba:* hic eſt verus deus, *chriſti mentio anteceſſerit. Etenim pronomina relatiua, vt* hic *et ſimilia, non ſemper ad proxime antecedentia; verum ſæpe numero ad*

 id,

id, de quo potisſimum ſermo eſt, licet remotius, referuntur. Addantur FAVSTVS SOCINVS *comm. in* 1 *epiſt. Io.* V, 20. *tom.* I. *oper.* p. 261. et in *reſponſione ad libellum Iacobi Wuieki de diuinitate filii dei et ſpiritus ſanct. tom.* II. *oper.* p. 587. ION. SLICHTINGIVS *comment. poſthum. tom.* II. p. 417. itemque VALENTINVS SMALCIVS, GEORGIVS ENIEDINVS, CHRIST. OSTORODVS atque alii. Verum quam inania horum hominum ſint ſtudia, aduerſus clariſſimam pugnandi veritatem, quisque facile videre poteſt. Vtuntur variis ac diuerſis exceptionibus, quarum fundamentum eſt non in ipſa re; ſed in errore, chriſtum non eſſe deum verum atque æternum. Hunc errorem, veluti dogma verum fidei ac principium adhibent, ſecundum quod interpretatio dicti Ioannei ſit inſtituenda, cuiusmodi interpretandi modum plane ineptum ac malitioſum eſſe, res ipſa docet. Hinc nec mirum eſt, quod contraria admittant. Sunt nonnulli, quemadmodum paullo ante obſeruauimus, qui concedendo, τὸν ἀληθινὸν θεὸν reſpicere ad chriſtum, diſtinguunt inter deum proprie et improprie ſic dictum; id quod tamen manifeſtam prodit contradictionem. Qui enim verus eſt deus, prout ex ipſa horum Socinianorum mente chriſtus ita adpellatur, ille quoque eſt proprie ſic dictus deus; qui autem deus eſt improprie ita adpellatus, ille haud nominari poteſt verus deus, vti clarius ex infra dicendis patebit. Immo qui inter illos pronomen ὗτος ad patrem referunt, ipſam veritatem, a Ioanne de chriſto indicatam, confirmant. Declarant quippe, ſe probe videre, quod ἀληθινὸς θεὸς non poſſit non de ſummo atque æterno deo accipi; quum autem locutionem hanc de patre ſumunt, hoc aduerſus omnes regulas hermeneuticas: aduerſus ſermonis indolem ac pronominis ὗτος vſum fit. Idem et contra alios, qui

Soci-

Socinianos in hac interpretatione sequuntur, obseruandum est, HVGONEM quippe GROTIVM *adnot. ad* 1 *Ioann.* V, 20. *tom.* III. *oper. theolog.* p. 1146. auctorem libri: *les raisons des scripturaires* ac reliquos.

§. III.

Quando igitur Ioannes christum *verum deum* adpellat, hoc *praedicatum* significat, eum esse summum atque aeternum deum, atque eamdem cum deo patre essentiam habere, id quod variis rationibus euidenter demonstrari potest. Primum id patet ex indole *veri*. Vbi id in se consideratur, est illud, vti philosophi docent, vel metaphysicum; vel logicum; vel ethicum, ex quibus variis speciebus primam heic locum habere, inter alia ex eo videndum est, quod verus deus, de quo loquitur Ioannes, idolis opponatur, quemadmodum et in aliis scripturae locis factum est. Quodsi verum metaphysicum intelligi debeat; illud quidem a philosophis varia ratione definitur; retinemus autem merito vulgarem eamque rectam definitionem, id esse entis cuiusdam attributum, quo illud habeat essentiam sibi debitam. Posita hac definitione, sequitur, verum deum esse eum deum, qui omnia habet, quae ad essentiam dei necessaria sunt ac requiruntur. Id quod porro ex eo confirmatur, quod in nostro dicto deus pater, quem summum atque aeternum esse deum, Sociniani atque alii hostes trinitatis, ac speciatim diuinitatis iesu christi fatentur, expresse dicitur ὁ ἀληθινὸς θεός, immo ipsi Sociniani significationem vocis ἀληθινός, quam explanauimus, heic admittendam esse, eo ipso testantur, quoniam voces ἀληθινὸς θεός de christo vsurpatas, ad patrem referunt. At vero quum paullo ante monstratum est, Ioannem adpellare christum τὸν ἀληθινὸν θεόν, firma ex his nunc memoratis efficitur conclusio, chri-

ſtum ita eſſe verum deum, vt diuinam hincque cum patre communem habeat eſſentiam. Opponitur, quando verus deus adpellatur, idolis, quod non ſolum ex *Ieſ.* XLV, 22. 23. collat. *Rom.* XIV, 11. *Phil.* II, 10. verum etiam ex noſtro loco patet, in quo Ioannes, quum chriſti, vt veri dei, mentionem fecerit, ſtatim *verſ.* 21. *τεκνία, φυλάξατε ἑαυτὲς ἀπὸ τῶν εἰδώλων*, ſubiungit: itemque diis improprie dictis, 1 *Cor.* VIII, 4. 5. 6. add. *Gal.* IV, 8. 1 *Cor.* X, 14. 19. 20. 21.

§. IV.

Chriſtus eſt verus deus, id eſt, omnia habet, quæ ad eſſentiam diuinam requiruntur. Hinc eſt ens, quod eſt a ſe ipſo, ac per conſequens independens ac perfectiſſimum. Tale ens perfectiſſimum non datur, niſi vnicum. Quodſi enim duos; vel plures fingere velis deos, per omnia ſibi æquales, neuter illorum deus eſſe poteſt, quia ſimul exiſtat alius, eamdem habens perfectionem, ſicque perfectio ſit diuiſa; nec in vno illorum poſſit eſſe ſumma. Recte LACTANTIVS *inſtit. diuin. libr.* 1. *cap.* 3. p. 13. dicit: *deus ſi perfectus eſt, nam perfectus eſt, vt eſſe debet, non poteſt eſſe, niſi vnus, vt in eo ſint omnia. Deorum igitur virtutes ac poteſtates infirmiores ſint, neceſſe eſt, quia tantum ſingulis deerit; quantum in ceteris fuerit. Ita quanto plures; tanto minores erunt.* Quam veritatem, vnum tantum eſſe deum, prout ratio humana ſolide poteſt agnoſcere; ita eamdem pagani homines intellexerunt. Quamuis enim plures deos ſint venerati; id tamen certum eſt, ſi indoctum excipias vulgus hominum, quid faciant, quid colant, parum cogitantium, ceteros non æquali gradu, virtute ac dignitate quoslibet deos habuiſſe; ſed ſummum quemdam eumque vnicum agnouiſſe, ac reliquos eſſe inferiores, veluti prouidentiæ diuinæ ac gubernationis mundi

mundi adminiſtros et angelos, exiſtimaſſe, quod pluribus oſtendunt PETRVS DAN. HVETIVS in *Alnetan. quæſtionib. de concordia rationis et fidei, libr.* II. *cap.* 2. §. 13. p. 84. TOBIAS PFANNERVS in *ſyſtemate theol. gentil. purior. cap.* II. §. 7. p. 53. ſqq. IO. ALBERT. FABRICIVS in *bibliograph. antiqu. libr.* VIII. §. 5. et in *ſyllab. ſcriptor. de veritat. relig. chriſt.* p. 312. ſqq. MICHAEL MOVRGVES in *plan theologique du Pythagoriſme, tom.* I. p. I. ſqq. Idem confirmat ſcriptura ſacra ac clariſsime de vnitate dei teſtatur, *Deuter.* IV, 35. VI, 4. *Ieſ.* XLIV, 6. 1 *Cor.* VIII, 6. *Epheſ.* IV, 6. At vero, quum chriſtus verus ſit deus, ſequitur, vt habeat omnia entis perfectisſimi requiſita; tale autem ens perfectisſimum quoniam non datur, niſi vnicum, porro ex eo conficitur concluſio, chriſtum vnam eamdemque habere cum patre ſuo eſſentiam, eique eſſe ὁμοούσιον.

§. V.

Huic veritati non obſtant verba ſaluatoris *Io.* XVII, 3. de patre ſolo vero deo. Quando enim dicit de patre: ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, *vt cognoſcant te ſolum verum deum*, ſpectat vox *ſolus* non ad ſubiectum; ſed ad prædicatum, et hinc non filius; ſed idola gentium, οἱ λεγόμενοι θεοὶ, excluduntur a communione huius prædicati, 1 *Cor.* VIII, 5. adeo, vt ſenſus ſit: patrem quoad eſſentiam a filio et ſpiritu ſancto haud quaquam diuerſum, ſolum eſſe verum atque æternum deum. Talem expoſitionem requirit neruus verborum, eamque expreſſa vrget littera. Primum enim in græco textu non dicitur: ἵνα γινώσκωσί σε μόνον τὸν ἀληθινὸν θεόν, ac ſi propoſitio eſſet: *tu ſolus es verus deus* hincque *ſolus* pertineret ad ſubiectum; ſed articulus præpoſitus eſt voci μόνον ac legimus: σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, hic autem articulus hicque verborum

ordo aperte indicat, μόνον ſpectare ad ἀληθινὸν θεὸν hincque ad prædicatum. Ita nec filius; nec ſpiritus ſanctus excluditur, inprimis quum heic chriſtus expreſſe adſerit, per agnitionem patris et filii, in mundum miſſi, participes nosmet reddi vitæ æternæ; quoniam vero cognitio mere theoretica haud ſufficiat ad ſalutem obtinendam, 1 *Cor.* XIII, 2. coll. *Rom.* II, 17. ſqq. 1 *Io.* II, 4. practicam ac viuam intelligit chriſtus, qua vera cognitione fideque præditi, ſimul colimus deum: ipſi confidimus, ſpem omnem in eo collocamus, ac præceptis eius diuinis morem gerimus, vti τὸ γινώσκειν de deo in nouo teſtamento vſurpatur. Hæc omnia ſpectant ad cultum religioſum, quem ſoli deo debemus, quumque chriſtus practicam iſtam ſui cognitionem ad ſalutem neceſſariam cum agnitione patris arcte connectit, adeoque et ſibi vindicat cultum religioſum, patet etiam ex hoc loco, quod ipſe ſit verus deus. Aut enim id adſerendum; aut dicendum eſt, chriſtum ſibi attribuere ea, quæ ipſi minus competunt. Poſterius profiteri, plane impium eſt: hinc prius debemus adfirmare. Hac ratione locus hic ſcripturæ ab iis, quæ Sociniani obiiciunt, vocem μόνον ſpeciatim in præiudicium diuinitatis chriſti vrgendo, ſolide vindicari poteſt. Alii non tam ad conſtructionem; quam ſignificationem vocabuli μόνος animum aduertunt ac monent, id ſæpe ita adhiberi, vt non excludantur alia eiusdem generis, quemadmodum ex *Deuter.* 1, 35. *epiſt. Iud. v.* 4. atque aliis ſcripturæ locis videndum ſit. Sunt quoque, qui alium dictum hoc vindicandi modum adhibent, quum modo exiſtiment, chriſtum patrem ſuum vocare *ſolum verum deum*, quia ſit non genitus et ab alio originem non habeat; modo patris nomine, cui ſola vera deitas adſcribatur, totam trinitatem intelligant, de quibus aliisque interpretationibus legendus eſt

eſt CASPAR SAGITTARIVS in *harmonia hiſtor. pasſionis ieſu chriſti lib.* I. *cap.* 20. §. 34. ſqq. p. 286. huicque iungendi ſunt IO. GVILIELM. BAIERVS in *diſſert. de cognitione dei et chriſti, vt radice immortalit.* CHRISTOPH. FRANCKIVS in *demonſtratione deitatis chriſti* p. 105. ſqq. IO. WALLISIVS in *operib. tom.* IV. p. 303. ſqq.

§. VI.

Iam ad ſpecialiorem præcipuorum veri dei requiſitorum contemplationem pedem mouemus, conſiderantes, num ea reperiantur in chriſto, vt adpareat, eum omnino eſſe verum deum. Ex lumine naturæ ac ſcripturæ ſacræ patet, quod verus deus ſit ens *independens*, id eſt, quod rationem exiſtentiæ ſuæ habet in ſe ipſo, *Ieſ.* XLI, 4. XLIV, 6. Quodſi enim eam haberet in alio, agnoſceret ſuperiorem et hinc non eſſet ens ſummum ac perfectisſimum, adeoque nec verus deus, id quod de ſeipſo teſtatus eſt chriſtus, *apoc.* 1, 17. 18. Ibi enim dicit, *ſe eſſe primum;* primum autem eſſe, idem eſt ac eſſe independentem et non agnoſcere ſui cauſſam, hincque eſt verus deus, eique nomen dei esſentiale *iehouah* tribuitur, *Ieſ.* LXI, 1. ſqq. *Ier.* XXIII, 6. XXXIII, 15. 16. *Hoſ.* 1, 7. quatenus ſcilicet eſt ab æterno, ac nullam agnoſcit ſui cauſſam. Miſere quidem detorquent locum *Ierem.* XXIII, 6. iudæi, ſic eum vertentes: *hoc erit nomen eius, quo ipſum adpellabit iehouah: iuſtitia noſtra;* ſed ii, qui accentuationis hebraicæ principia ſatis cognita habent, primo quidem intuitu facile agnoſcunt huius explicationis falſitatem. Ex eo enim, quod vox *iehouah* cum ſeruo mercka tam figura; quam officio tali ſit notata, euidentisſimum eſt, lineolam inter duo hæc verba interpoſitam vulgo pſick dictam, hoc loco non eſſe diſtinctiuam; ſed euphonicam, vt adeo nullus ſeparationis eſſe posſit locus,

cus, quin potius veritas ſtet immota, chriſtum eſſe iehouam, verum ac independentem deum. Legendi ſunt IO. FRISCHMVTH in *diſput. de nomine mesſiæ glorioſo:* STEPHANVS LE MOTNE in libro ad hunc Ieremiæ locum, edito Dordrac. MDCC. aliique, quos recenſet IO. ALBERT. FABRICIVS in *ſyllabo ſcript. de veritate religion. chriſt. cap.* XXXI. p. 599. Quodſi dicas, chriſtum, quum a patre ſit genitus, habere ab eo ſuam originem, hincque non eſſe ens independens, ſcias, illum accepiſſe quidem per generationem ſuum ſubſiſtendi modum, quatenus vt ſecunda in diuinitate perſona conſideratur; nihilominus tamen ratione ipſius eſſentiæ, vti deus, eſt a ſeipſo, hocque nomine ens independens. Hinc et a ſcriptoribus veteris eccleſiæ *αὐτόθεος, deus a ſe, per ſe exiſtens*, adpellatur, vt ex EPIPHANIO *hæreſ.* LXXVII. et EVSEBIO *hiſtor. eccleſ. libr.* X. *cap.* 4. patet.

§. VII.

Creaturæ per id, quod eſt dependens, dicuntur finitæ. Quum itaque deus ſit independens, ſequitur, vt nullos agnoſcat eſſentiæ ac perfectionis limites, *pſ.* CXLV, 3. Quodſi enim agnoſceret tales, aut ipſum ſibimet conſtituiſſe eosdem oporteret; aut aliud ens ab ipſo diuerſum. Non ipſe illos conſtituit, quoniam alioquin laboraret adhuc imperfectione et nulla adeſſet ratio, cur limitibus circumſcribere voluerit eſſentiam ſuam, quin potius id repugnaret ideæ entis abſolute neceſſarii. Non aliud ens id fecit, quia deus eſt independens ſecundum antea dicta. Igitur deus nullos perfectionis limites habet, ideoque eſt infinitus. Idem dicendum eſt de chriſto. Eſt enim magnus; ſiue quod idem eſt, infinitus deus, vt capite primo monſtratum fuit. Infinitas remouet a deo omnem terminum ac limitem ac

per

per consequens terminum loci, quo circumscribi possit, hincque est *immensus*, *Ier.* XXIII, 24. add. 1 *reg.* VIII, 27. *Ies.* LXVI, 1. Christum omnia in omnibus replere, confirmat Paullus, *Ephes.* IV, 10. quare et ipse est immensus et habet caracterem vero deo dignum. Vbi immensitas ista consideratur in relatione ad creaturas, quibus non solum quoad operationem; verum etiam quoad substantiam præsens est deus, *omnipræsentiæ* nomine venit, quæ perfectio et christo tribuitur, *Matth.* XVIII, 20. XXVIII, 20. hocque iterum indubium veri dei requisitum est. Duratio, quæ nec habet initium; nec finem, et in qua nulla datur successio partium; nec vlla vicissitudo, dicitur *æternitas dei*. Hanc deo vnice vero competere, docet itidem infinitatis, quem antea explicauimus, conceptus. Quodsi enim eamdem concedere recusares, esset in deo terminus temporis, vel a parte ante; vel a parte post et destrueret infinitatem, id quod etiam scriptura, *ps.* XC, 1. CII, 27. 28. 1 *Tim.* I, 17. docet; de æternitate autem filii dei supra loca iam memorata sunt.

§. VIII.

Omniscientia de deo prædicatur, quatenus ille sibi repræsentat omnia, quæ cognosci possunt, vno ac simplicissimo actu, ac distinctissime, *psalm.* CXXXIX, 1. sqq. *actor.* XV, 18. 1 *Io.* III, 20. Quodsi enim quædam excipere velis, ipsi incognita, intellectui diuino vt adtribuas limites, eumque esse infinitum, neges, necesse est. Iam vero clarissima adsunt de omniscientia christi testimonia, quoniam *omnes cognitionis thesauros in ipso reconditos esse*, dicit Paullus *Coloss.* II, 3. et Petrus ipsum adloquitur: *κύριε, σὺ πάντα οἶδας*, *Io.* XXI, 17. XVI, 30. Ac quamuis in exinanitionis statu sese abdicauerit vsu maiestatis diuinæ, quoad humanam naturam ipsi commu-

 muni-

municatæ; in eo tamen haud raro conſpicienda erant omniſcientiæ diuinæ veſtigia, quum abditisſima cordium cogitata habuerit cognita, *Matth.* IX, 4. XVI, 8. *Luc.* IX, 47. et hinc non opus fuerit ipſi aliorum teſtimonio in diiudicandis hominum propoſitis, *Io.* II, 24. 25. adeoque veritas æternæ chriſti diuinitatis omnibus manifeſta eſſe potuerit.

§. IX.

Ea porro perfectio, qua deus immunis eſt ab omni immunditie ac labe in ſenſu ſtrictiori dicitur *ſanctitas dei*, qui quum ſit ens perfectisſimum, non poteſt non eſſe ſanctum, immo ſanctisſimum, *Leuitic.* XIX, 2. *pſalm.* CXLV, 17. 1 *Petr.* I, 15. 16. 17. quo et ter repetita *ſanctitatis* vox *Ieſ.* VI, 3. ſpectat ſimulque ad tres deitatis perſonas reſpicit, collat. *Ioann.* XII, 37.-41. *actor.* XXVIII, 25. ſqq. In his ſpeciatim chriſtus magna cum emphaſi dicitur ſanctus: *κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν*, *ebr.* VII, 26. 27. *ἀμνὸς ἄμωμος*, 1 *Petr.* I, 19. *peccatorum expers* II, 22. coll. 2 *Cor.* V, 21. 1 *Io.* II, 1. 20. Prout autem deus eſt ſanctus; ita quoque eſt *iuſtus*. Hanc iuſtitiam, vbi in ordine ad creaturas rationales et liberas conſideratur, exercet deus partim erga impios, quum eorum delicta in hac atque altera vita puniat, quæ *punitiua* et *vindicatiua* dicitur; partim erga pios, quando bene recteque facta ex ſingulari gratia largiter compenſat, quam *remuneratoriam* adpellant. Vtraque chriſto tribuitur, *Ieſ.* XI, 4. 5. quam et vt iudex huius vniuerſi in extremo iudicio luculenter manifeſtam faciet; ac monſtrabit, ſe eſſe non ſolum iuſtisſimum; verum etiam omniſcium atque omnipotentem iudicem, hincque verum deum. De reliquis attributis, quæ itidem ad veritatem eſſentiæ diuinæ pertinent, ac chriſto competunt, non eſt, quod heic quid-

quidquam dicamus, quoniam de illis iam *capite primo* disseruimus ac ostendimus, christum magnum esse deum, speciatim per suam omnipotentiam, sapientiam et benignitatem.

§. X.

Veritas hæc diuinitatis christi iam demonstrata, in se continet varia christianorum officia, tam cognoscenda; quam omni studio exercenda, quæ nunc paucis enarrasse, sufficiat. Christus est *verus deus*, adeoque habet essentiam deo debitam et hinc seipsum pronuntiat τὴν ἀλήθειαν, *Io.* XIV, 6. id quod et Paullus eleganter exprimit *Ephes.* IV, 21. in christo τὴν ἀλήθειαν esse, adserens. Igitur necesse est, vt et nos, qui nomen christi profitemur, simus veri, reuera tales, quales videri cupimus: vt omnis fucus a toto vitæ nostræ curriculo remotus sit, vtque deo seruiamus ἐν ἀληθείᾳ, *Io.* IV, 24. ac resurrectionem saluatoris pie meditantes, pascha continuum celebremus ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας, 1 *Cor.* V, 8. ac procul recedamus ab illis, qui habent formam pietatis; sed vim eius abnegant, 2 *Tim.* III, 5. Quum christus est verus deus, ens est independens, vti supra monstratum fuit. Hæc christi *independentia* nostram ab ipso dependentiam nobis in memoriam reuocet, vt ex ea discamus, ad promtum nosmet obstrictos esse obsequium erga mandata eius ac quoniam nihil habemus, nisi quod accepimus, non est, quod superbire velimus, 1 *Cor.* IV, 7. sed decet nos, innumera benignissimi fauoris diuini documenta plane indebita pie considerare: gratias ipsi persoluere summas, exemplo Dauidis, *psalm.* CXXXIX, 14. ac bonis ipsius rite vti, non ad luxum; sed sanctam nominis dei celebrationem et gloriæ diuinæ promotionem, monente Paullo, 1 *Cor.* X, 31.

§. XI.

Infinita eſt chriſti eſſentia; noſtra autem finita, ac per conſequens intellectum habemus finitum. Pro hac intellectus humani conditione officium noſtrum eſt, eo in rebus diuinis recte vti ac cauere, ne nobis ſumamus, ſumma myſteria de trinitate, de generatione æterna, proceſſione ſpiritus ſancti, incarnatione chriſti, aliaque perſcrutari. Finitum enim non eſt capax infiniti. Noſtrarum igitur partium eſt, *αἰχμαλωτίζειν πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ χριστοῦ*, 2 *Cor*. x, 5. ac ſimpliciter acquieſcere in ſanctis dei oraculis. Is enim omnia longe copioſius facere poteſt, quam nos petimus; aut cogitamus, *Epheſ.* III, 20. Quum porro magnus ille deus ad dextram patris ſedens, omnia in omnibus repleat, adeoque *immenſus* ſit, decet nos, omni loco peccata euitare, ſecundum exempla Henochi, *Geneſ.* V, 24. Noachi, VI, 9. Abrahami, XVII, 1. cum et coram chriſto vitam ita inſtituere, vt pie ac ſedulo reputantes, eum vbique eſſe præſentem, noſtram monſtremus reuerentiam: adde *Sirac.* XXIII, 25. ſqq. *Aeternitas*, quam chriſto tribuimus, magnum nobis ſtimulum addat, ad mala vitanda; bona vero ſectanda, quia vita æterna pariter ac cruciatus nullis vnquam temporibus terminandus, *Dan.* XII, 2. 3. *Matth.* XXV, 46. inſtat, quam ob cauſſam in eo ſtudia noſtra debemus collocare, vt hunc euitemus; illam vero impetremus ac ſequamur monitum Ioannis 1 *epiſt.* II, 15. 16. Sane ſi inter veros chriſti ſectatores locum tueri volumus, non debemus res caducas; ſed æternas ſectari. Quemadmodum autem chriſto competit æternitas; ita præditus quoque eſt *omniſcientia.* Hanc conſidera diligenter atque expende, quod omnes tuas cogitationes ac cupiditates cognitas habeat. Manifeſtabit illas in die iudicii, vt docet Paullus 1 *Cor.* IV, 5. *φανερώσει*, inquit,

τὰς βȣλὰς τῶν καρδιῶν. Quare non ſolum verbis ac factis; ſed et internis cordis noſtri conſiliis inuigilemus ſtrenue, ne pudefiamus in aduentu eius glorioſo. Ille enim vi iuſtitiæ infinitæ haud inulta ſinet hominum peccata, *Exod.* XXIII, 20. 21. Studeamus ſaluti noſtræ μετὰ φόβȣ καὶ τρόμȣ, *Phil.* II, 12. Inprimis tamen excitet nos ad verum pietatis ſtudium *ſanctitas* chriſti. Eſt ille ſanctisſimus, hinc et nosmet ad ſanctimoniam vocatos eſſe, indicat Paullus 1 *Theſſ.* IV, 7. adeoque ipſe iehouah ſanctitatem ſuam eſſentialem nobis proponit in exemplum, quod imitari debeamus, *Leuit.* XIX, 2. 1 *Petr.* I, 15. 16. id quod de chriſto adfirmat Petrus 1 *epiſt.* II, 21. *reliquit nobis*, inquit, ὑπογραμμὸν, *vt ſequeremur veſtigia ipſius:* adde *Matth.* XI, 29. *Io.* XIII, 15. Quamuis vero ſanctitatem omnibus numeris abſolutam nemo mortalium in hac vita attingere queat; id tamen agere debemus, vt gratia diuina adiuti de die in diem adſcendamus ad maiorem ſanctitatis gradum et ab vna virtute progrediamur ad alteram, 2 *Petr.* I, 5. ſqq.

CAP. III.

DE CHRISTO, DEO BENEDICTO.

ROM. IX, 5.

ὧν οἱ πατέρες, καὶ ἐξ ὧν ὁ χριςὸς, τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς ἐυλογητὸς εἰς τȣ̀ς αἰῶνας. ἀμὴν.

§. I.

Accedimus ad aliud grauisſimum teſtimonium de diuinitate chriſti, quod Paullus *Rom.* IX, 5. exhibet. Lectionem illius, quam noſtri codices habent,

habent, genuinam esse, satis luculenter aduersus Socinianos monstrari potest, qui vocem θεὸς suspectam reddere conantur. Ex illis IONAS SLICHTINGIVS scribit: *hæc vox,* deus, *quibusdam in codicibus, vt in Syriaco et in aliis non legitur,* in *comment. posthum. tom.* I. p. 254. et anonymus, qui librum: *le tombeau du Socinianisme* inscriptum, M DC LXXXVII. edidit, p. 179. fingit, veteres diuinitatis christi defensores vocem *dei* huic atque aliis noui testamenti locis inseruisse, quippe qui pro lubitu nunc vocabulum *dei* loco *christi* ac iesu; aut vocem iesu ac *christi* loco *dei* posuerint. Quo et spectat HVGO GROTIVS *adnot. in Rom.* IX, 5. *tom.* III. *oper. theol.* p. 726. quando dicit: *ex Syro adparet, veteres codices habuisse* ὁ ὢν ἐπὶ πάντων εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, *quod consuetæ locutioni Paulli melius conuenit, qui quum de patre et filio loquitur, patri nomen dei: filio nomen domini tribuere solet. Et sic fuisse in vetustis codicibus Cypriani: sic etiam legisse Hilarium; nec aliter videri legisse Chrysostomum, notauit Erasmus;* cuiusmodi quoque in *catechismo Racouiensi sect.* IV. *cap.* I. p. 59. extant. Sed auctoritatem vocis *dei* in hoc loco satis vindicat IO. MILLIVS in *nou. testament. ad h. l.* p. 350. atque obseruat, lectionem hanc præferre codices manuscriptos omnes: versiones, vulgatam, Syriacam, Arabicam, Aethiopicam, Copticam et Armenam; itemque græcos et latinos patres, tam ante-Nicænos; quam qui post Arium vixerunt: adde DIONYSIVM PETAVIVM *theolog. dogmat. de trinitat. libr.* II. *cap.* 9. *tom.* II. p. 99. sqq. ac virum celeberrimum IO. CHRISTOPH. WOLFIVM in *curis philolog. et crit. in epist. ad Rom.* IX, 5. p. 176. sq.

§. II.

Quum Paullus dei benedicti mentionem facit, inprimis de eo dispiciendum est: num verba: ὁ ὢν ἐπὶ

πάντων

πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τὰς αἰῶνας ad christum sint referenda, ita vt ista clarissimum testimonium de illius diuinitate exhibeant; nec ne? Negant hoc Sociniani, licet locum hunc diuersa ratione explicent. Nonnulli post vocabulum *carnis* punctum ponendum ac posteriora verba distincta a prioribus seorsim legenda esse, existimant, hoc modo: *ex quibus christus secundum carnem. Deus, qui est super omnia, sit benedictus in secula*, adeo vt vox *dei* spectet ad patrem, quam interpretationem FELBINGERVS adhibet ac GEORGIVS ENIEDINVS in *explicat. locor. veter. et nou. testam.* p. 264. adprobat. Vbi simul obseruari potest, quod ERASMVS in *adnot. ad nou. testam.* editionis locupletioris, quae anno MDXL. lucem vidit, locum hunc triplici modo distingui posse, moneat, quod Socinianis interpretationem iam memoratam instituendi, occasionem potuit praebere. Alii inter Socinianos hanc expositionem reiiciunt, ac concedunt, omnia verba dicti nostri ad christum esse referenda; ita tamen, vt negent, ex iis veram diuinitatem christi probari posse, quoniam heic, vti in aliis scripturae locis, vocabulum *dei* improprie sit sumendum. Huc spectat FAVSTVS SOCINVS: *facile concedo*, inquit, *verba prolati Paullini testimonii omnia ad christum referenda esse. Nego tamen, hinc sequi, christum esse illum vnum; seu summum deum. Ex ipso enim dei nomine illi tributo id concludi non posse, et supra alibi disputatum est, et infra apertius demonstrabitur*, in *responsion. ad libellum Iacobi Wuieki tom. II. oper.* p. 582. quibuscum conueniunt, quae in *catechismo Racou. sect.* IV. *cap.* I. p. 59. legimus, quaeue et VALENTINVS SMALCIVS in *refutat. disput. Graweri de persona christi*, Racou. MDCXV. edita, p. 3. adprobat. Sunt quoque, quibus vocum istarum ὁ ὢν transpositio irrepsisse videtur, quum a Paullo scriptum esset: ὧν ὁ, *quorum*, nimirum iudaeorum, *sit ille super omnia*

omnia deus benedictus in ſecula. Sed quis non videat ſcepticam Socinianorum fluctuationem, manifeſtum malæ cauſſæ documentum? Interpunctio, quam fingunt, nullam præ ſe habet auctoritatem ac repugnat verborum ordini ac indoli. Quæ de improprio vocis *deus* chriſto tributæ ſenſu habent, nituntur eorum errore de chriſto, mero homine, atque ex eo deducto falſo canone hermeneutico. Tranſpoſitio verborum, quam alii addunt, plane a codicibus manuſcriptis recedit. Copioſius oraculum hoc ab exceptionibus Socinianorum vindicarunt auctores *des freywilligen Heb-Opfers tom.* III. p. 322. 477. 489. ſq. adde ABR. CALOVIVM in *bibl. illuſtrat. ad h. l.* p. 153. et PHIL. IACOB. SPENERVM in der *Vertheidigung des Zeugniſſes von der ewigen Gottheit Chriſti* p. 500. ſq. Idem præſtitit aduerſus GVIL. WHISTONVM, neo-Arianum, IO. ERNESTVS GRABIVS in *exemplis defectuum et omiſſionum in Whiſtoni collectione teſtimoniorum ſcripturæ et patrum contra veram filii et ſpiritus ſancti deitatem*, p. 23. ſq. qui liber poſt obitum eius cum diſſertatione GEORGII HICKESII lingua Anglicana Lond. MDCCXII. prodiit.

§. III.

Inter omnes Socinianorum atque aliorum aduerſariorum impetus, verba Paulli inconcuſſum pro diuinitate chriſti argumentum ſuppeditant. Integra illa ſane de nemine alio; niſi de chriſto, intelligi poſſunt. Patet id I.) ex illorum *nexu*, qui plane remouetur, vbi verba: ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας ad patrem referantur, ac ſi doxologiam in ſe contineant. Nulla enim antea proxime mentio facta eſt dei patris, quod omnino fuiſſet neceſſarium, ſi apoſtolus heic doxologiam ad patrem ſpectantem voluiſſet indicare, vti in aliis locis fecit, ſpeciatim 2 *Cor.* XI, 31. vbi eodem modo,

modo, qui in hoc loco obſeruatur, formula hæc adhibetur: *ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ οἶδεν, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας*, adde *Rom.* 1, 25. II.) ex *ipſorum verborum ratione*, quæ ita ſunt comparata et poſita, vt non ſolum poſſint; ſed etiam debeant ad chriſtum ſpectare, vbi legitimum ſenſum eorum cognoſcere ac monſtrare velis. Exhibent illa propoſitionem logicam, cuius ſubiectum hæc verba conſtituunt: *χριστός, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, chriſtus exiſtens ille ſuper omnia deus benedictus in ſecula*; prædicatum autem: *ἐκ τῶν πατέρων ἐστὶ, τὸ κατὰ σάρκα, ex patribus eſt, quod ad carnem adtinet*, cum quo ſenſu logico omnia verba et in ſe, et in ſua conſtructione conſiderata adcurate conueniunt. Nunc vides, cur apoſtolus verba: *κατὰ σάρκα* adiecerit, quæ ſuperflua fuiſſent, niſi nobilioris naturæ mentionem facere voluiſſet. Nunc ratio reddi poteſt, cur ante participium *ὢν* non legatur articulus poſtpoſitiuus *ὅς*; ſed præpoſitiuus *ὁ*. Participium enim non conſtituit prædicatum, ita vt articulus *ὅς*, tamquam ſubiectum, ei fuerit præponendus; ſed pertinet ad ſubiectum et efficit adpoſitionem vocis præcedentis *χριστός*, ac ſecundum proprietatem grammaticam tantum articulum præpoſitiuum admittit, quemadmodum in aliis ſcripturæ locis eum ita vſurpatum deprehendimus. Sic de chriſto dicitur: *ὁ μονογενὴς υἱός, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός, Io.* 1, 18. itemque: *ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ*, quod refertur *ad filium hominis, Io.* 111, 13. III.) ex *ſcopo apoſtoli*. Vult enim ſingularem iudæorum dignitatem ac ſummam dei erga illos gratiam ſignificare, huncque in finem non ſimpliciter dicit, natum ex patribus eorum eſſe chriſtum;

et alia momenta satis comprobant, christum in nostro loco adpellari deum benedictum, quod et veteres ecclesiæ doctores confirmant, ad hoc Paulli testimonium diligenter prouocantes, quando diuinitatem iesu christi volunt probare, vti IO. BENED. CARPZOVIVS in *disputat. academ.* p. 1379. sqq. copiose ostendit. Huic alii, qui in hoc loco explicando, illustrando et vindicando singulari industria sunt versati, iungi possunt, MEN. HANNEKENIVS *tom.* VIII. *disputat. Giessens.* p. 387. ABR. CALOVIVS in *bibl. illustrat. ad h. l.* p. 152. sqq. IOACH. LANGIVS in *caussa dei, tom.* III. p. 309. sqq. GOTTFR. OLEARIVS in *dissert. de adoratione dei patris per iesum christum* §. 40. p. 69. atque alii, quorum iam ante mentionem fecimus.

§. IV.

Agit igitur Paullus in nostro loco de christo eumque expresse *deum benedictum* adpellat. Hoc et nonnulli inter Socinianos concedunt, verba Θεὸς εὐλογητὸς ad christum respicere; negant autem, ista veram eius æternamque diuinitatem probare. Quamobrem et hoc a nobis monstrandum est, locum hunc egregia suppeditare argumenta pro diuinitate christi. Dicitur Θεὸς, quæ vox absolute ac simpliciter vsurpatur: ad subiectum propositionis spectat: cum nullo alio vocabulo coniuncta est, propter quod improprie sit sumenda: immo sensus eminentissimi habet additamenta. Hinc omnino verum et essentialem deum significat. Dicitur porro deus ἐπὶ πάντων, *super omnia*, id est, summus, quæ loquendi ratio et de deo patre *Ephes.* IV, 6. adhibetur hicque adpellatur ὁ ἐπὶ πάντων, ex quo omnino legitimam efficimus conclusionem: quo sensu deus pater est deus super omnia, eodem sensu etiam christus est deus super omnia, id est, summus deus, ens independens, creator et conseruator omnium rerum, deus nimirum

mirum verus et essentialis. Nulla enim adparet caussa, cur vna eademque locutio absque vllo diuersitatis signo de deo patre proprie; de christo autem, filio dei, improprie sumi debeat. Quodsi dicas, adesse diuersitatem subiecti, quoniam Paullus *Ephes.* IV, 6. de deo patre; *Rom.* IX, 5. autem de christo verba faciat, sane nihil aliud agis, quam vt petas principium. Accedit, quod christus non solum dicatur *deus, deus super omnia;* sed etiam θεὸς εὐλογητὸς, *deus benedictus*, ac quidem εἰς τοὺς αἰῶνας, *in æternum*, id quod iterum diuinitatem eius declarat, quemadmodum paullo post ostendemus. Immo nec restrictio, quam verba: τὸ κατὰ σάρκα præ se habent, negligenda est. Quodsi enim in christo non alia; nisi natura humana esset, sane apostolus non necesse habuisset, hanc restrictionem adhibere, inprimis quum non dicat: κατὰ σάρκα, sed τὸ κατὰ σάρκα, *quod ad carnem*, id est, humanam naturam, *adtinet*.

§. V.

Sed tamen speciatim vox εὐλογητὸς consideranda est. Epitheton hoc summo deo proprium est. Vsurparunt illud veteres iudæi in celebratione numinis diuini: adpellarunt deum הקדוש ברוך הוא id est, *sanctum benedictum*, item ברוך הוא ac in δοξολογίαις suis adhibuerunt formulam ברוך השם vti ex scriptis rabbinorum atque ex vsu, qui adhuc apud iudæos est, satis constat. Hos imitati sunt noui testamenti scriptores, summumque deum, quando maiestatem eius indicare ac celebrare voluerunt, εὐλογητὸν dixerunt. Sic summus sacerdos christum interrogauit: σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ εὐλογητοῦ, *Marc.* XIV, 61. sic Zacharias dixit: εὐλογητὸς κύριος ὁ θεὸς τοῦ Ἰσραὴλ, *Luc.* I, 68. sic Paullus de deo, crea-

que ob caussam verba Paulli de deo benedicto non ad christum; sed ad patrem referunt, vti antea a nobis fuit obseruatum. Significat autem *θεὸς εὐλογητὸς* deum, qui est laudandus ac colendus cum ob maiestatem suam in se spectatam; cum ob maxima atque innumera beneficia, quæ nobis ad omne felicitatis genus promouendum adtribuit, quemadmodum *εὐλογεῖν*, si hominibus in ordine ad deum tribuitur, idem est, ac deum laudare ac celebrare, *Luc.* I, 64. II, 28. XXIV, 53. *Iacob.* III, 9. Hoc modo vocabulum hoc cultum diuinum ac religiosum indicat, quo solum deum nos prosequi debemus. Adde, quæ de vsu illius ac significatione monent IO. PEARSONIVS in *exposit. symbol. apostolic.* p. 235. GEORG. BVLLVS in *defensione fidei Nicæn.* p. 54. CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS *hor. ebraic. et Talmud. in nou. testament.* p. 544.

§. VI.

Si igitur christus est deus benedictus, id est, quem religioso ac diuino cultu debemus prosequi, omnino est verus et essentialis deus. Cultus enim religiosi, qui præcipue et inuocatione et manifestatione gloriosa maiestatis diuinæ absoluitur, ea est ratio, vt ad solum æternum deum pertineat, quod et ratio humana et scriptura sacra euidenter docent. Christo autem eiusmodi cultum omnino esse tribuendum, ex iis, quæ ante dicta sunt, clarissime colligi potest. Est deus magnus, speciatim sua sapientia, potentia ac benignitate: est deus verus, hincque independens, infinitus, immensus, æternus, omniscius, sanctus, iustus: est ille, qui harum perfectionum euidentissima documenta in regno tam naturæ; quam gratiæ dedit: immo adhuc dat, vti superioribus capitibus satis est monstratum. Quis igitur dubitaret, eum religiose esse colendum, ita vt eum inuocemus, bona atque in calamitate diuinum auxilium

ab

ab eo petamus: maiestatem eius celebremus atque omnia curemus, quae ad gloriam nominis eius sanctissimi amplificandam pertinent? Hoc est, quod etiam scriptura expresse docet quodue a nobis requirit. Nonne ipse dei filius eumdem cultum sibi vindicat, qui patri conuenit, *Io.* V, 23. nonne idem comprobatur, *Phil.* II, 10. *Rom.* XIV, 10. 11. coll. *Ies.* XLV, 23. nonne ipsi hunc cultum etiam angeli praestant, *ebr.* I, 6. nonne in eum debemus credere, hincque per fidem ei exhibere cultum eminentissimum?

§. VII.

Christus est deus benedictus, ac quidem *εἰς τοὺς αἰῶνας, in secula, in aeternum*, quod argumentum de diuinitate eius, in voce εὐλογητὸς conspicuum, confirmat: immo maius ac grauius efficit. Ita saepe in nouo testamento deus summus dicitur *benedictus in aeternum.* Ita certo scimus, christum esse deum benedictum; sed non sufficit, hoc tantum scire. Cognitio iesu christi salutaris debet esse viua et efficax. Quamobrem vita tua monstra, te scire, iesum christum esse deum benedictum. Sanctam numinis celebrationem magnam esse cultus diuini partem, ex eo facile patet, quod tam frequentes extent in sacro codice adhortationes ad laudes dei efferendas, ac nomen ipsius celebrandum, *psalm.* XCVIII. XCIX. C. et alibi. Vti enim deus in creatione mundi manifestationem gloriae suae habebat pro scopo; ita et voluit, vt eam agnoscant mortales et hinc assiduos sese praebeant in celebrandis perfectionibus diuinis. Quum itaque christus sit deus ille magnus, qui totum condidit mundum, quemadmodum supra probauimus, ac eo ipso aeternam eius potentiam atque

diffitebitur, quo et ſpectat monitum Dauidis *pſ.* c, 1.ſqq. coll. *apocal.* IV, 11. Accedit autem alia adhuc ratio ad magnum hoc chriſtianorum officium nos mouens; nec ſilentio prætereunda, nimirum ſummum redemtionis opus, quod Paullus ſecum perpendens, in hæc erupit verba: *laudatus ſit chriſtus in ſecula.* Quidni et nos celebremus nomen benignisſimi ſaluatoris, qui infinita miſericordia ſua commotus, liberauit nos peccatores a poteſtate diaboli ac omnibus pœnis infernalibus, nosque acceptos reddidit patri, *Epheſ.* 1, 6. Noſtrum igitur eſt, vt prædicemus virtutes illius, qui nos vocauit ex tenebris in admirabilem ſuam lucem, 1 *Petr.* II, 9.

§. VIII.

Fiat autem id ipſum tam corde; quam ore ac denique opere: *corde* quidem, vt ſummum ipſius amorem erga miſeros mortales humillime ac ſancta animi reuerentia agnoſcamus: *ore,* vt laudes domini numquam recedant a labiis noſtris, *pſalm.* XXXIV, 1. aliosque excitemus ad ſinceram nominis diuini celebrationem, exemplo Dauidis, *pſalm.* XXXIV, 4. *opere,* vt ſingulis eius præceptis promtum præſtemus obſequium ac eo ipſo non ſolum amorem noſtrum publice teſtemur, 1 *Io.* V, 3. ſed et nomen ipſius glorificemus coram hominibus, *Matth.* V, 16. Pro omnibus enim mortuus eſt, vt qui viuunt, non ſibi viuant; ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt et reſurrexit, 2 *Cor.* V, 15. Atqui hic eſt ſcopus huius diſſertationis. Quemadmodum enim omnia in gloriam dei facienda ſunt, 1 *Cor.* X, 31. ita et nos id vnice intendimus, vt, cognita diuinitate chriſti æterna, ſummæ ipſius perfectiones celebrentur, et ad cultum magno huic deo debitum inuitentur mortales. Non itaque nobis, domine ieſu! non nobis; ſed nomini tuo des gloriam, AMEN.

* * *

NOBI-

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

HENR. DAN. MVLLERO

S. P. D.

IO. GEORGIVS VVALCHIVS.

QVVM iam de egregio eruditionis tuae ſpecimine gratulandi munus tibi perſoluere debeo, ſolidam omnino ac veram materiam habeo, te tuasque ingenii atque animi virtutes ac dotes laudandi ac de proſperiori ſtudiorum tuorum ſucceſſu laetandi. Vidi enim atque probe intellexi, te non mediocrem ſanctiorum litterarum ſcientiam tibi comparaſſe, poſtquam non ſolum in academia Marpurgenſi et Gieſſenſi per quatuor annorum ſpatium in ingenio tuo praeclare ornando elaboraſti; verum etiam, ex quo huc veniſti, in eodem laudis atque induſtriae curſu progreſſus es conſtanter. Hanc ſingularem diligentiam mihi iam perſpectam nunc doctisſimo coetui publi-

ris, hac dissertatione, quam ipsemet per ingenii tui vigorem ac præstantiam composuisti atque in ista grauissimum argumentum de seruatoris nostri diuinitate solide ac pie enarrasti, luculenter ostendis. Igitur habeo caussam, cur tibi gratuler, inprimis quoniam et scio, te egregium in diuinis litteris proficiendi ardorem coniungere cum studiis bonæ mentis rectique moris. Ita in musarum domiciliis, quæ elegisti, boni ciuis laudem sectatus es: ita ecclesia ac patria vberiores fructus eruditionis ac virtutis tuæ liberali spe sibi promittunt: ita tuorum exspectationi satisfacis, iisque insigne ac sincerum gaudium paras; aliis autem tibi gratulandi: bona quæuis precandi: laudabile exemplum tuum imitandi materiam suppeditas. Deus pro sua sapientia ac benignitate efficiat, vt saluus atque incolumis diu agas in terris ac rei christianæ per doctrinam ac vitam optime consulas. Ienæ d. VI. iun. anno reparatæ per seruatorem salutis humanæ

M DCC XXXVI.

* * *